D. 0. 20. ~~XVI-7-54~~
f^a 2~
~~VIII - B - 41.~~

H.g.88.

COELORUM REGINÆ,

VIRGINUM VIRGINI,

MARIÆ

HORTO VOLUPTATIS,

DELICIARUM PARA-
DISO,

HORTULUS HIC INSCRIPTIONUM
SACER ESTO.

HORTUS
VARIARUM INSCRIPTIONUM,
VETERUM ET NOVARUM
Videlicet
URBIUM, TEMPLORUM,
SACELLORUM, ALTARIUM, Reliquiarum, Cæmeteriorum, Organorum, Horologiorum, Scholarum, Bibliothecarum, Muſæorum, Obeliſcorum, Columnarum, Pyramidum, Statuarum, Imaginum, Arcuum Triumphalium, Portarum, Arcium, Palatiorum, Aularum, Curiarum, Armamentariorum, Propugnaculorum, Munimentorum, Portuum, Aquæductuum, Thermarum, Pontium, Viarum, Fontium, Hortorum, Villarum, Cænaculorum, Cellarum, Hippodromorum, Officinarum Monetariarum, Noſocomiorum, Hoſpitalium, Tumulorum &c.

IN CERTOS LOCOS, SEU AREOLAS DIGESTARUM,

A

P. OTTONE AICHER Benedictino ad S. Vitum, in Alma & Archiepiſcopali Univerſitate Benedictino-Salisburgenſi Phil. Moralis & Hiſtoriarum Profeſſore Ord.

SUPERIORUM PERMISSU

SALISBURGI,
Typis & Impenſis JOAN. BAPTISTÆ MAYR, Typographi Aulico-Academici,
1676.

BIBLIOTECA ALESSANDRINA R. UNIV. DI ROMA
7245

SYLLABUS

Eorum, quorum ſcriptis in hoc Opuſculo uſi fuimus.

A.

Abrahamus Bzovius.
Abrahamus Golnitius.
Aloyſius Juglaris S. J.
Aloyſius Lollinus.
Angelus Bargeus.
Antonius Querengus.
Auſonius.

B

B Platina.
Balduinus Cabillavus S. J.
Bohuslaus Balbinus S. J.

C.

Cæſar Baroni⁹ S. R. E. Card.
Caſpar Barlæus.
Cotta Veronenſis.

D.

Daniel Heinſius.
Daniel Rogerſius.

E.

Emmanuel Theſaurus.
Epigram. antiq. Urbis.
Erycius Puteanus.

F.

Franciſcus Bencius S. J.
Franciſcus SWertius.

G.

Gabriel Bartholomæus Gramond.
Georgius Buchananus.

H.

Hadrianus Junius.
Henricus Ranzovius.

I.

Jacobus Sannazarius.
Jacobus Zevecotius.
Janus Lernutius.
Janus Nicius Erythræus.
Janus Vitalis.

Joannes

Joannes Aloyſius Cerchiarius.
Joan. Iſaac. Pontanus.
Joannes OWenus.
Joannes Secundus.
Jodocus Sincerus.

Joſephus Baptiſta.
Julius Cæſar Scaliger.
Juſtus Lipſius.

L.

Laurentius Beyerlinck.
Laurentius Le Brun S. I.
Leo Matina, Bened.

M.

Maphæus Barberinus S. R. E. Card.
Martialis.
Martinus Zeilerus.
Matthias Abele.
MaxamilianusVrientius.

N.

Nathan Chytræus.
Nicolaus Borbonius.

O

Octavius Ferrarius.
Onuphrius Panuinius.

P.

Paulus Aringus.
Petrus And. Canonherius.
Petrus Labbè S. I.
Petrus Scriverius.
Philomathi Muſæ Juveniles.

R.

Robertus Keuchenius.
Romanus Miller, Bened.

S.

Sidonius.

T.

Thomas Weiß, Bened.

V.

Veſthovius.

INDEX
INSCRIPTIONUM.

A.

Altarium. Pag. 97
Aquæductuum. 296
Arcium. 261
Arcuum triumphalium. 222
Armamentariorũ. 286
Aularum. 270

B.

Bibliothecarum. p. 139

C.

Cæmeteriorum. p. 105
Cænaculorum. 367
Campanarum. 117
Caſtellorum. 262
Cellarum. 375
Columnarum. 160
Curiarum. 277

F.

Fontium. pag. 322

H.

Hippodromorũ. p. 377
Horologiorum. 120
Hortorum. 342
Hoſpitalium. pag. 382

I.

Imaginum. pag. 174

M.

Menſarum. pag. 374
Monetariarum officinarum. 380
Munimentorum. 290
Muſæorum. 151

N.

Noſocomiorum. p. 382

O.

Obeliſcorum. pag. 154
Organorum. 119

P.

Palatiorum. pag. 270
Pontium. 306
Portarum. 246
Portuum. 294
Propugnaculorũ. 290
Pyramidum. 160

R.

Reliquiarum. pag. 104

Sacello-

S.

Sacellorum. pag. 59
Scholarum. 130
Statuarum. pag. 173

T.

Templorum. pag. 57
Thermarum, 303
Tumulorum, 388

V.

Viarum. pag. 371
Villarum. 357
Urbium. 1

AREO-

AREOLA I.

Continens

INSCRIPTIONES ET ENCOMIA URBIUM

Ordine Alphabetico.

A

Altinum Venetias alloquitur.

QVanta fui, cujus modico veſtigia tractu
Obruit inſani fæda ruina maris,
Sedibus egregiæ doceant illuſtribus urbes;
Oppidáq; elapsâ condita multâ manu.
Aſpice, quo faſtu tumeat Tauriſia pubes:
Vna mei germen ſtipitis illa fuit.
Muranum incolumi cælo, atque inſontibus auris;
Et quod majori nomen ab orbe tulit:
Quæque etiam cæli dicta eſt de nomine turris:
Cuncta hæc interitus ſunt monumenta mei.
Tu quoque mirifici complens miracula mundi,
Te, Regina, vagi te voco magna ſoli.
Diſce frui virtute tua, & felicibus orſis
Pars mea. nam, totum quàm ſit inane, vides.

Jul. Cæſ. Scaliger.

In Anconam.

DEvictrix pelagi tutis anfractibus Ancon
Oſtentat placidi commoda rara ſinus.
Nimirum Dea, quæ voluit capere urbis honores,
Lenia ſic voluit reddere ſceptra maris.

Idem.

In Aquileiam.

DIva, parens terræ, forteis quæ proſpicit Hiſtros:
Nobilis Italiæ janua prima tuæ:
Barbarici miſera incurſus objecta furori,
Triſtis inhumanâ facta ruina manu es.
Inclyta pro Heſperijs ſed cùm cadis hoſtia terris:
Non poteras melius, vivere tota volens.

Idem.

In Ariminum.

PRiſca fui quondam civilis meta furoris:
Sed non Fortunæ meta futura fui.
Non tunc arma togæ, non ceſſit laurea linguæ,
Cæſaris eſt ſacere, haud ſub Cicerone loqui.

Idem.

In Athenas.

Hic, ubi disjectæ fruſtrà quæruntur Athenæ,
Quæruntur Graij mens, manus, arma ſoli.
Lignea viciſti. Victricem fata periclis
Marmoream faciunt. nunc miſeranda, quid es?

Idem.

In

In Adriam.

Olim ingens decus Heſperiæ, lux addita terræ,
Eridani cuius proluit unda pedes.
Nunc vix nomen habet, letóque informe cadaver,
Et famulis ſordens Adria putret aquis.
Translatum eſt aliò imperium, titulíque vetuſti,
Ecce novos ditat priſca ruina lares.
Dira tamen fruſtra faciat Fortuna ſuperbos,
Diſcite, quàm valeant ſceptra manere diu.
Nunc agitur melius mea res, ſecura timoris
Cùm vigeo, ſortis lege ſoluta meæ.

Idem.

In Ambianum.

Terrori fuerat peregrinis Gallia turmis:
Terrori Gallus Belgia ſola fuit.
Germanus Belgas cùm vincit: Belgica Belga
Cùm tueor, Belgis Belgia ſola fui.

Idem.

In Auinionem.

Incendi ratio cum libertate recepta
Efficiunt, ut ſis altera Roma tibi:
Templa, forum, celſo ſubducta palatia cælo:
Magna hæc. te, plus eſt, dicere poſſe tuum.

Idem.

In Aureliam.

Non potuit magni caput eſſe Aurelia Regni,
Ergo quod reliquum eſt, córque animúſq; fuit.

Dat Bellona manum, facundam curia linguam;
Ars potuit nullis ulla latere modis.
Tam comc ingenium, tanta eſt prudentia rerum.
Hæc quod non novit, Galliæ muta ſilet.
Ipſe Pater choreas agitans in vertice Nyſæ
Olim, aut hinc, aut huc muneralæta tulit.
Nil humile, aut vulgare ſonat: magna omnia; magni
Quin animum vulgus Principis ipſe gerit.
Quæ tibi non ceſſit, toti non ceſſerit orbi,
Cedere nec debes tu niſi ſola tibi.

Idem.

In Antuerpiam.

Oppida quot ſpectant oculo me torva ſiniſtro,
Tot nos invidiæ pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum eſt, operoſa Lutetia: Roma
Ingens: Res Venetûm vaſta: Toloſa potens.
Omnimodæ merces: artes priſcæque novæque;
Quorum inſunt alijs ſingula, cuncta mihi.

Idem.

In Eandem.

Maximilianus Vrintius S. P. Q. Gand.
à Secretis.

Regia Mercurij, Sortis domus, area Martis,
Merce vigens, opibus turgida, cive potens.
Legibus æqua, ſuperba foro, admiranda penate,
Turre ſtupenda ſacrâ, mole timenda ſuâ.
Meta hoſti, vindex Lyræ, cæſo inclyta Gallo,
Apta ſalo, cælo grata, benigna ſolo.

Orbis

Orbis miraclum, famæ ſtupor, unica Phœnix,
Vix præſente oculo, vix capienda fide.
Neſcio quam dicam, minor eſt vox omnis, at ipſa
Se validè Antuerpam *dicere ſola poteſt.*

In Alcmariam.

PVlchra Alcmaria, ter beata, felix
Ter Alcmaria, quò novem Sorores
Pindi culmina contulêre, & undam
Quâ doctos creat irrigátque Vates.

Daniel Heinſius.

In Alcmariam.

TOta paludoſis Alcmaria ſurgit in undis,
Pulchráque, Verona depereunte, nitet.
Ne Latium præfer, Baias, aut Theſſala Tempe
Græcia, vel Campos Brixia terra tuos.
Proxima Nereidum ſpumantes adſpicit undas,
Proximáque umbroſas ſpectat Hamadryadas.
Serica Sidonijs decurrant ſtamina portis,
Hic laſſant Batavas linea fila manus.
Quæque tegant nudos velamina ſufficit artus,
Et memorem primi me cupit eſſe mali.
Heſperios ſprevit bellis infracta furores,
Baticáque affuſis caſtra fugavit aquis.
Pugnavêre Viri, ſed & hic (ſpectaſtis Iberi)
Fœmina pugnanti porrigit arma viro.

C. Barlæus.

In Amſtelodamum, Petrus Scriverius.

QVæritis Hanſæas inter cur cenſear urbes?
Emporiumque ingens Ambſtela Nympha ferar?

Cur mea per totum volitent nunc carbaſa mundum?
Cur ſubeat leges Indus utérque meas?
Cernitis auguſtam, quâ ſum decorata, coronam,
Et nitidum tollo celſæ per aſtra caput.
Non hedera, ut vulgo eſt; furioſaque ſtemmata jacto:
Auctorem & cauſas hæc habuêre ſuas.
Inconſulta ſuum petulantia Flandrica Regem
Cepit, & innocuo ſanguine tinxit humum.
Hinc genitor movet arma; ſcelus nec linquit inultum,
Liberet ut natum trux Fridericus adeſt.
Romanaque adſunt aquilæ, atque exercitus omnis,
Itur in excidium, maxima Bruga, tuum.
Protinus obſepto migrant commercia portu:
Ambſtela tum ſacro digna favore fui.
Senſit captivos ſenſit Rex liber Ycos,
Ambſteliósque ſuo pectora fida duci.
Quid faciat? jam tum Grudios cùm perdere vellet,
Me caput è Batavis tollere juſſit aquis.
Cæſareaque meos illuſtrans luce coronæ,
Tradite (ait) terris, tradite Jura mari.

Alia.

VRbs ſpacioſa, potens opibus, tectiſque ſuperba,
Viribus invidiam, crimina lege domat.
Civibus aucta novis nunquam ſtat finibus iiſdem,
Latius expanſis mænibus hoſpes abit.
Invertas, fit tota nemus, quo condita fundo eſt,
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.
Quidquid mortalis fingit ſolertia curæ,
Vel natura ſuo parturit alma ſinu,
Illa dabit, totóque parans commercia mundo

Nunc

Nunc emere, & totam vendere ſemet amat.
Has adfert, has trudit opes. Sic lucra parantur.
Quid valeat fas, ſors, ars, mare, terra docet.
Moſchus, Arabs, Perſa, Maurus, Judæus, uterque
Quod ferat huc, rurſusque auferat, Indus habet.
Hanc dum mundus adit, mundúmq; hæc ipſa pererrat.
Non Urbs fixa loco, ſed vagus orbis erit.

C. Barlæus.

In Amſtelodamum, Hadrianus Junius.

Aureus, ut perhibent, quondam ab Jove perpluit imber
Magnificis turgentem opibus Rhodon: horrea Romæ
Sicaniam eſſe Ceres victuro munere ceſſit.
Torſit & huc oculos facilis Deus ipſe benignos,
Et me mactam opibus juſſit florereque rebus
Lætis: at circundor aquis pigráque palude
Obſita: roboreóque ſolo ſtant culmina nixa
Depactis altè trabibus, ſurgentia Cælo:
Alternánsque ſtatis vicibus maris æſtus aperti
Mœnia ſubcingit, qua parte exotica puppes
Velifera invectant onera, exportantque frequenti
Mercatu, Heſperias quà ſe demittit in undas,
Barbaráque Eous pandit quà littora Titan
Expedio, quos noſtra tamen non area verrit,
Legiferæ cumulos Cereris genitalia dona.
Gargara proventu tanto non farris abundant.
Inferior fuerit, vel Momo judice, mecum
Contendat locuplete penu ſi Trinacris ora,
Æqualeísque ferax non Africa ſtipat acervos.
Horreum & agnoſcit me non malè Belgica felix,
Omnigenas ut opes, ſic vitæ alimenta miniſtro.

Rectè ut quis ſaturæ ſimilem me dixerit alvo,
Robore defectos ſuccum quæ dicit in artus.
Eximiæ hinc adeò Cæſar me ferre coronam
Virtutis decus, ac munus ſpectabile juſſit.
Materiam at linquo ſcribendi Vatibus amplam.

B.

In Brugam, Janus Lernutius.

ARdua culminibus tectorum adit æthere Brugis;
Et famâ clari nominis omne ſolum.
Qua ſol, cumque jubar ſpargit roſeo ore per orbem,
Inclytus in populos illius ivit honor.
Et quamvis motu civili preſſa tot annis
Mutârit priſcum ſcæva per arma decus;
Mole tamen pulchra conſtans caput erigit altum,
Et merito Morinum dicitur eſſe caput.
Flumen ei debet prima incrementa Tabuda:
Urbis & Alyaticæ maxima origo fuit.
Imò quod externis ſit Flandria cognita in oris
Hinc eſt; auſpicium luminis inde trahit.

In Eandem,

Maxæmilianus Vrintius S.P.Q.Gand. à Secret.

FLandrorum Elyſium, Morinum Regina ſuperbis
Ædibus, attonitis penè ſtupenda Deis.
Merce frequens, animoſa, potens, magnæ æmula Gandæ,
Et par, ni paribus deſtituatur aquis.
Verùm illi, quam ſicca negat natura, Aganippe
Lernuti, hanc pleno fonte rependit opem.
Felix Cive ſuo, felix Urbs Principe vate,
Si quod habet pretium norit, & illud amat.

In Bruxellam Maxæmilianus Vrintius S.P.Q. Gand. à Secret.

NOn potui Bruxella caput Regni eſſe Brabanti,
Sed potui Belgi Principis eſſe domus.
Regia conſilio, cultu aurea, prodiga ſumptu,
Fontibus uda, ſitu læta, beata ſolo.
Collibus aſſurgens & amæno florida Luco
Aulai ſplendor, Scena potentis heræ.
Grata Deis Pietate, polo contermina tectis,
Aula ubi Regalis quælibet una domus.
Quæq; Puella Venus, Mars civis, Juppiter ipſe
Dux meus, & † Juno Regia nupta Ducis.
† Albertus & Iſabella.

Bredæ, cùm capta eſſet ab Ambroſio Spinola Anno 1625. inſculpta hæc inſcriptio.

Philippo IV. Regnante, Iſabellâ Clarâ Eugeniâ gubernante, obſidente Spinolâ, quaternis Regibus fruſtrà conſpirantibus, Bredâ Victor potitur.

In Brielam.

ASpice vicinam noſtro de littore Thetyn,
Hic ubi Moſa ſuis laxior exit aquis,
Briela vocor, feſſis ſtatio ſecura carinis,
Nunc quoque Vorniaci gloria prima ſoli.
Naiades hinc, illinc agreſtia numina Fauni,
Et fecunda meos ſpecta Eleuſis agros.
Albano ſurrepta duci crudelia ſprevi
Imperia, & faſces, Bætica terra, tuos.

Aprilis lætas faſtis inſcribe Calendas.
Belga, nec hoc optes non ſuperaſſe die.
Scilicet ille dies, qua me vicêre Batâvi,
Vlterius vinci noluit Auriacum.

C. Barlæus.

In Bergomum.

INgenium, corpus, mores, obtutus, amictus,
Tecta, cibus, greſſus, guttura, ſermo, ſonus.
Omnia craſſa modis inſignibus, omnia dura:
Sic, valeant ſilices ut ſuperare ſuos.
Iſta domi: ſed vicinus ſi aſpergat acetum;
Artibus atque dolis vincitur ipſe ſuis.

J. Cæſ. Scaliger.

In Bononiam.

POſt diras rerum clades, Fatíque ſuperba
Imperia, & Martis quæ fera juſſa tuli,
Hic primum méque atque alios cognoſcere cæpi:
Depoſuíque animi barbara ſceptra mali.
Quæ cauſas, quæ cunctarum primordia rerum
Quæ, divini operis prima elementa, doces,
Cæleſteſque plagas, & ſanctæ commoda vitæ,
Et ſi qua è numeris nata figura latet.
Cùm reliquas ſuperes divinis legibus urbes:
Non ſulci omnigeno germine cedit honos.
Arma viris connata: animus conterminus aſtris,
Atque ardens vitæ ſtat melioris amor.

Si

Si cives dederas, ſi, magna Hetruria, leges:
Accipe, quæ poſſis dicere: reddo libens.

J. C. Scaliger.

Item.

ÆMiliæ decus, & belli paciſque patrona:
Dives opum variarum, & nullius indiga cultus:
Muſarum domus, atque omnis nutricula Juris:
Planitie adclivi procumbens ſolis ad ortus:
Inter aquas Sapinæ & Rheni, quarum utraq; in urbē
Ducta, vehit revehitque rates, piſtrináque verſat.

In Brixiam.

QVæ pingues Scatebras ſpecula deſpectat ab alta
Poſtulat Imperij Brixia magna vices.
Cælum hilarum, frons læta urbi, gens neſcia fradis
Atque modum ignorat divitis uber agri.
Si regeret Patrias animis concordibus oras:
Tunc poterat dominis ipſa jubere ſuis.

Idem.

In Brunduſium.

VT Populos ad ſeipſa vocet, procurrit in altum,
Et ſecat æquoreas Auſonis ora vias.
Hinc ſolis proſpectat equos orientis anhelos:
Hinc petit indigenis Africa terra notis.
Illyricas oſtentat opes, animóſque ſuperbos;
Horrificis Boreas quà furit altus equis.
Quo molles natura ſinus dedit alma vocanti,
Hoſpes ut optata ſic potiretur humo.

At

At non Brunduſium præcinctum præpete portu
Æquat inoffenſis ulla carina vadis.
Iam liceat reliquis peregrinas condere puppes:
Italiæ at ſtatio vera ſit una ſuæ..

Idem.

In Budam.

Threiciis jaculis, ſævisque objecta Sariſſis
Virtutis Scythicæ lima vetuſta fuit.
Nunc miſera & miſerè extremis exterrita fatis,
Olim ab ſe victis ſordida præda jacet.
Diſcite, quid faciat diſcordia pectora, Reges.
Semper ſic odiis diſſita regna ruunt.

Idem.

In Babylonem.

HEu nuſquam aſpicio rerum miracula turres:
Mortali pereunt omnia facta manu.
Cui momenta Poli, & tempus dominatur inane:
Nec rem, nec numerum reddere poſſe reor.
Ah miſeram: quæ ſic poteras periiſſe, nec eſſe:
Nec tunc, cùm poteras eſſe, fuiſſe puto.

Idem.

Beroic.

Beroic.

SI cui ſimplicitas, & priſcæ ſæcula vitæ,
Sors ſine diſſidiis, mens ſine fraude, placet:
Ne Scotiæ dextras, hirſutáque pectora ſpernat:
Haud bene junguntur luxus, & arma ſimul.
Nimbiferósque Joves, & iniquas vicimus auras:
Corporaque horrendis ſunt potiora malis.
Jacta Ægypte ſolum: potius ſit ſortis iniquæ,
Sollicitâ vitæ ducere ab arte dies. Idem.

In Burdegalam.

OCeani timidas furioſo percita Cauro
Expugnat rapidis fluctibus ira trabes:
Proſequiturque ferox fugientem ad littora puppim,
Quæ timidus refluo fonte Garumna premit.
Verum ubi compoſitum Populum, ſanctúmque ſenatum
Cernit, adorato littore fracta jacet.
Qualem, hoſpes, dicas populum, qualemque ſenatum,
Queis etiam viſis æquora muta ſilent.

Idem.

C

In Candiam.

CEntum olim cinctas operoſis mœnibus urbes
Reddidit ad paucas imperioſa dies.
Oppida parva tamen, reor, illa fuiſſe: ſed aucta,
Quod deeſt ex reliquis, Candia ſola refert.
Vera equidem fateor Jovis incunabula magni:
Nam liquor haud alibi nectaris ille venit.

Idem.

In Coagium Daniæ, Veſthovius.

FLuctibus Arctoi ſat bella Coagia Ponti
Alluor, hinc campus ſubjacet, inde nemus.
Quæ ſylvæ utilitas, agri emolumenta, fretíque
Commoda ſunt, meus hæc omnia civis habet.
Dat glandes, & ligna nemus, dat paſcua campus,
Piſcibus, & varijs mercibus vnda beat.

Calicut.

NOn ſatis hoc fuerit, noto quòd perdita Nereo
Hærebat dubijs tunſa carina vadis?
Protinus audaces incognita littora puppes
Inſtituuntque novas mortis adire vias.
Sontis tanta ſitis ſeſe tibi colligit auri,
Fatali ut citius morte perire juvet?
Hic dices animi magni te nomine dignum?
At non eſt, animum perdere, idemque frui.
J. C. Scaliger.

In Capuam.

FLammea ſi valeat ſuperare ſuperbia faſtum,
Pinguem luxuriam deliciosus amor:
Hec mollem pinges Capuam, Capuæque Colonos:
Et quæ alijs viſa eſt, nec ſibi meta fuit.
J. C. Scaliger.

Caieta.

TE quoque cedentem naturæ Æneia nutrix
Heſperio retinent littora curva ſinu.

Ju-

Juſta pius fecit, tumulumque ſacravit alumnus:
Vnde tuum in noſtro nomine nomen habes.
Reddere non poterat, deerat quod legibus ævi:
At data, quod potuit, vita ſecunda tibi eſt.

Idem.

Croton.

VIrtutis faciem, ac numeros metire viator,
Sive oculis, ſeu tu mente Crotona vides.
Quot cives, tot victores. Nam nomine Palmas
Pauperis eſt populi dinumerare ſuas.

Idem.

In Cremonam.

QVis modus eſſet agris, & quanta licentia frugum,
Verba peregrina Gallica voce notant.
Inde ſolum nati lætum dixêre Cremonam,
Quin Latio vox eſt delicioſa Cremor.
Vsque adeo longo reddit cum fænore tellus:
Prateritíque hornus commoda videt ager.
Deficit & cultrum & vomer: non deficit uber.
Laſſa manus, trita ſarcula, feſſa Ceres.
Reddant penſum aliæ: noſtræ lex unica terræ eſt:
Et votum domini, & ſpem ſuperare ſui.

Idem.

In Coloniam Agrippinam.

MAxima cognati Regina Colonia Rheni,
Hoc te etiam titulo Muſa ſuperba canit.
Romani ſtatuunt: habitat Germania: terra eſt
Belgica: ter felix. nil tibi, diva, deeſt.

Idem.

In Cracoviam.

MArtia Sarmaticis tentata Croatia nimbis
Arcigeri pugnax ſpicula fregit equi.
Hinc belli fortunam armis, finemque ſecuta
Germana Herciniis expulit arma iugis.
Quáque patet ſolis fugiens Lituania campis,
Victrici impoſuit Martia ſigna manu.
Moſcoviiſque docet, Turcisque auguſta Trophæis,
Vicinis quantum ſit bene tuta quies.
Teſſera certa manu ſtat belli, & pacis: utramuis
Si des, accipiam; vel cape. namque dabo.

Idem.

In Cymaclum.

CÆrula piſcoſi quæ complent ſtagna Cymacli
Nais ab Adriacis æſtibus auget aquas.
Squammiger Eois labens exercitus undis
Ludit, & in reſluis agmina juſta vadis.
Turgeat, & laxis Neptunus gaudeat oris.
Tuta mihi anguſto, certáque præda gerit.

Idem.

D. Del-

D.

Dordrechtum in Batavis.

A me Batavicus ſuffragia prima ſenatus,
Conſilijsque petit provida verba ſuis.
Quondam merſa mari, medijs emergere nitor
Fluctibus, & ſiccos Veſta reducit agros.
Neptunus cedit Cereri, fluitantia Fauno
Numina, & æquoreus fit minor uſque Deus.
Merva meis miſcetur aquis: hoc Linga profundo
Labitur, & Vahalis flumina Moſa bibit.
Huc Tongri merces, & ferri munera mittunt,
Et Nemetes plenis muſtea vina cadis.
Pomifer Autumnus mediam transmigrat in urbem,
Vaſtáque Eburonum marmora cæſa jugis.
Quisque ſuas largitur opes, & dona miniſtrans
Diſtrahit imperio munera tanta meo. C. Barlæus.

Dertona.

SI faciles animos, ſi candida pectora quæris;
Quæque decent claros nomina magna viros:
Magnifico Dertona tibi dabit inclyta cultu:
Inclyta, ſed quondam: nunc malecultа ruit.
Nimirum quod ſemper erit, huic contigit urbi:
Vt ſemper noceant ſæcula prava bonis.

Ju: Cæſ: Scaliger.

Dyrrhachium.

QVæ quondam Epyri privatum nomen habebat,
Albani ad titulos transpoſuêre ſuos.
Fortis erat gens priſca: ſimul ſed fortior hæſit:
Grandius effectum eſt inſitione genus.

Cùm tranſlata alias generoſa armenta per herbas
Diſpereant: videas, pabula quanta ferant.
Cùm pudeat Phrygias mirari Gargara meſſes:
Hic Cereris, dices, Thenſa beata manent.
Vitrea cùm tepidis coquitur vindemia ſaxis;
Jurabis madidi Cueſſia dona Dei.
Hoc etiam illa potens tremuit ſub milite Roma:
Ne tu his arma opibus debilitata putes.
Ergo animis vacuis aliena pericula cernens,
Vincere dum credit eſſe, carere malis,
Vicinus ſibi ſpem promittit, & otia: caſſos
Subſidijs, ſervi nomine Turcus habet.
Aſt videas, quanti faciat duriſſimus hoſtis,
Fortia cum noſtro robore bella gerit. Idem.

E.

Enchuſa.

A *Rcta, frequensq; dom⁹ nomen mihi fecit & urbē,*
Primáque contempta tecta dedêre caſæ.
Navita me jactat Pelago, mea rura colonus
Laudat, & hinc terrâ claudimur, inde mari.
Abſcidit adverſas à noſtro littore gentes,
Et Friſios medijs dividit æſtus aquis.
Pandit vaſta meis Neptunus Regna carinis,
Et procul à Patriæ ſedibus exul eo.
Quæro foris, quæ parca domi natura negavit,
Quæque domi tribuit plurima, porto foras.
Belga tuos mirare Deos: dum munera mundo
Dividis, ex alio ſidere plura refers. C. Barlæus.

Frane-

F.

Franequeræ.

VRbs hæc eſt Chriſto, Paci, Muſiſque ſacrata:
Ergo bonos tantùm, non amat illa malos.

Francfordia.

MVlta laboratis debet Francfordia ſulcis:
Multa racemiferis vinea culta jugis.
Quid referam, quantá & quæ convexêre metalla?
Quæ Mars bellipotens, quæ petit alma Ceres?
Huc Italus patrijs miratur partibus orbem,
Advectum huc ſtupuit Gallia magna ſuum.
Hic oriens, hîc terra novis comperta ſub aſtris
Agnoſcit Genij ſemina plena ſui.
Nec tamen in brutis ſola hæc commercia rebus:
Hic animi æternæ ſed cumulantur opes.
Quod ſi res, paucas operoſa eſt dicere merces:
Non magis eſt, cunctas res operoſa dare?
I. C. Scaliger.

Ferraria.

INclyta quæ patulo fruitur Ferraria cælo,
Reginas rerum lumine ditat aquas.
Aurea nobilitas: Studiorum nobilis otij
Ingenia: Audaci pectore prompta manus.
Magnanimique Duces, genus alto à ſanguine Divûm:
Perfugium profugis mœnia ſancta viris. Idem.

Florentia.

PArva fluentiſonis aggeſta Fluentia ripis
Mollia de nitido nomina Flore capit.

Faſula regnabat : verùm meliora ſecutus
Martius antiquas detulit amnis opes.
Divitias Hera : Mercurius diſcrimina linguæ ,
Mercurius varias ire , redire vias :
Ambitioſa , ferox , bellacia , flammea, Mavors
Pectora : magnificam docta Minerva manum :
Juppiter oſtendit cæleſtis mentibus aulas :
Sirenum tribuit dulcis Apollo ſonum.
Vera vetus Romæ ſoboles , aliena requiris :
Mutua quæ proprias vertis ad arma manus.

Idem.

Faventia.

Pars magna Italiæ duro diſcrimine rerum
Clara Faventino milite ſceptra capit :
Quod meruit decus invictus Helvetius armis :
Quod conducta ferox Brennus ad arma fuit :
Hoc ſumus : hoc fortis meruit vis ignea dextræ :
Arbitrio cujus Numina Regna parant.

Idem.

G.

Genua.

Ditis opes Aſiæ , & claros orientis honores ,
Quantáque ab Euxino tunditur ora ſalo ,
Piſanas acies, Thuſcæ decora inclyta pubis,
Et traxi ad Ligures Gallica ſigna manus.
Subiectis domitas tenui cervicibus Alpes :
Et tremuit noſtras Africa dura trabes.
Afflictus toties Venetus quæ fugerat olim ,
In patrijs metuit tela petitus aquis :

Fru-

Fruſtrà, Galle, cupis: fruſtrà es Fruſtrator, Hibere:
Fruſtrà ſæva ferox, Inſuber, arma capis:
Vinco ego cùm vincor: Par eſt victoria damno.
Sumque eadem domina, ſerváque facta mea.

Idem.

Gaiacia.

QVattuor ancipitis celebrantur ſæcula mundi
Hæc: Aurum, argentum, æs: ferrea quarta fuit.
Quatuor exceſſere ſimul. Nam lignea quinta eſt:
Namque vides ligno ſæcla renata meo. Idem.

In Gandavum. Maximilianus Vrintius.

CÆli delicium, Frandri decus orbis, ocellus
Belgica, & enixo cæſare Virgo parens.
Conſilio illuſtris, bello horrida, florida pace,
Pulchra ſitu, felix aere, dives aquis.
Gandavum *breviter, nil ultra quære, nec Vrbem,*
Verùm orbem in tanta mole videre puta.

Idem brevius.

Iuppiter hanc molem, purum dedit aëra Phœbus,
Florida prata Dryas, cærula Naiſaquas.

Gouda.

ISala ſi cedat Vahali, Rhenúſque bicornis,
Hæc quoque nata ſuis flumina iactet aquis:
Attamen hunc tectis exornat Gouda ſuperbis,
Læta ſitu, ſtudijs æmula, clara viris.
Hinc natura ferax, illinc concordia cives
Ne ſinit aut inopes, aut nocuiſſe malos.
Templa parat ſpatioſa Deo: nec quilibet illi

Horrendi culpam criminis error habet.
Bella premant alias, hæc eſt ſecurior, urbes,
Nec placidos turbant tympana rauca lares.
Exulat Odriſius, litui, Bellona, triumphi:
Relligio, probitas, pax ſociata manent.

C. Barlæus.

Gorichemum.

ADſpicit invictis hanc cinctam Mænibus urbem,
QuemVahalis, vel quem flumine Linga vehis,
Adſpicit Heſperijs quæ propugnacula bellis,
Quàm fremat excuſſis machina crebra pilis,
Adſpicit adverſo quantum ſe opponat Ibero,
Invigiléisque ſuis Martia dextra focis,
Sic didicit bellare ſibi, nec milite ſolùm
Tuta, ſed ipſa ſuis civibus eſſe cupit.
Erkelijs quondam ſubmiſit ſceptra Dynaſtis:
Hæc quoque jam damnans nomina, tota ſua eſt.
Cur toties Batavum depingis Belga leonem?
Qui patriam cuſtos aſſerit, iſte leo eſt.

Idem.

H.

Hiſpali,

Ante portam, vulgo de la Carne.

COndidit Alcides, renovavit Iulius Vrbem:
Reſtituit Chriſto Fernandus tertius heros:

In Heidelbergam, J.C.Scaliger.

NObilis Imperio Franconia dextra potenti
Belligero nulli Marte ſecunda viget.
Qum victis ab ſe pepulit vectigal Alanis,

Libera

Libera Germano nomine Franca ſuit.
Nec contenta ſuis anguſtis finibus (illi
Quæ par virtuti terra futura foret?)
Egreditur: ſuperat. Germani ô pectus honoris!
Victoris victos nomina ferre ſat eſt.
Non aliunde venis: Francusve eſt Hectoris ullus.
Quid petis à victo ſtemmata? tota tua es.

Harlemum.

VIcta Pharos, fractique obices & vincula Nili,
Et Peluſiaco littore fixa ratis,
Serratíque mihi recitant encomia dentes,
Et procul externo ſidere ſurgit honos.
Invidet excuſas populoſa Moguntia Muſas,
Quodque meum eſt, laudis jactitat eſſe ſuæ.
In me alium ſolers Batavus miratur Apellem,
Pictaque Parrhaſiâ ſubdola vela manu.
In v[illegible]ntis arguta meis accedit Arachne,
Dædaleóque ſuum pollice texit opus.
Hic mihi vicinâ Nereus admurmurat undâ,
Et propiùs colles tollit arena ſuos.
Illic umbroſis ſe condit Delta lucis,
Explicat, & latas arbor opaca comas.
Diviſam me Spara ſecat, qui laxior undis
Fit lacus, & vaſtis luxuriatur aquis.
Arridet Natura foris. Sed doctior in me
Æmula Naturæ crebra reperta manus. C. Barl.

Horna.

FOrtia, cantatus quondam, mea mœnia Flevus
Alluit, & portus verberat unda meos.

Æmula me vultu ſpectas Enchuſa ſiniſtro,
Et cauſam litis me cupis eſſe tuæ.
En tecum commune ſalum, commune profundum
Navigo, & in mediis pabula ſector aquis.
Jam mea Cimbrorum redimunt commercia terræ,
Fœtáque Gotthorum carbaſa portus habet.
Nunc onerat noſtras pelagi captura carinas,
Terrenóſque fovet præda marina Deos.
Me ferit, & lædit: me ſervat ab hoſtibus æquor:
Sic ſervâſtis aqua, ſic nocuiſtis aqua.

C. Barlæus.

In Hydruntum.

Q*Và brevis Epirum Cerealem deſpicit, Vrgens*
Tractus in Ionias brachia longa vias,
Opportuna dolis, & cauti fraudibus hoſtis,
Hic ſita ſum vigili præda petita duci.
Hæc igitur firma Italicæ ſunt clauſtra quietis:
Et libertati iura parata tuæ.

J.C. Scaliger.

I.

Inculiſma.

A*Rmipotens rerum præſes Valeſia tellus*
Addidit antiquis jam nova Jura focis:
Cùm dedit invictos terrarum lumina Reges:
Quo levius gaudens pondere preſſa volat.
Quam te igitur memorem? neq; enim terram eſſe fatebor,
Sed cælum; quæ ſic fundis, habéſque Deos.

Idem

L. In

L.

In Lovanium.

Iupiter hoc Vrbis ſpatium, fundamina Pallas,
Mars Burgum, medium ſtruxit Apollo forum,
Arva Ceres circum, Dryas herbida prata, Lyæus
Vitiferos colles, Dilia fudit aquas.
Aëra ſol purum, varias Cillenius artes,
Ingenij cultum turba novena dedit.
Templa Deo Pietas, Gymnaſia publica Princeps,
Splendida Doctrinæ Præmia fecit Honos.
Eloquium Pitho, Sophiam Dea Glauca, Themiſtis
Iura, docet medicam Phæbigena auctor opem.
Omnibus ut numeris veteres exæquet Athenas
Vrbs Grudia, & Belgas non ſinat eſſe rudes.
Maxæmilianus Urintius.

In Londinum, Jul: Cæſ: Scalig.

VRbs animis, numeróque potens, & robore gentis,
Vel cunctos præ ſe deſpicit una Deos.
Torva peregrinis, ſed non & inhoſpita, merces
Vicinis Patrias aggerit, atque petit.
Contemnis cui das, tanquam ipſo munere major,
Odiſti unde petis, ne videare minor.
Dicat, quid bello valeas, Aquitania, quid non:
Et Nortman, & cum Saxone Roma vetus.

In Lutetiam, Jul: Cæſ. Scalig.

FRancigenæ Princeps populoſa Lutetia gentis,
Exerit immenſum clara ſub aſtra caput.
Hic civis numerum, ars pretium, ſapientia finem
Exuperant: ſuperant thura, precesque Deos.

Audijt, obſtupuitque hoſpes: factúsque Viator
Vidit, & haud oculis credidit ipſe ſuis.

Item Chytræus:

VRbs orbi ſimilis, toto & celeberrima mundo,
Muſarum ſedes, regina Lutetia, ſalve.
Francigenæ tu metropolis pulcherrima gentis,
Hoſpitio Regem grato, Regisque miniſtros
Excipis, & reliquas das jura ſuprema per urbes.

In Lugdunum J. C. Scalig.

FLumineis Rhodanus quà ſe fugat incitus undis,
Quáque pigro dubitat flumine mitis Arar:
Lugdunum jacet, antiquo novus orbis in Orbe,
Lugdunumque vetus Orbis in Orbe novo.
Quod nolis alibi quæras, hîc quære quod optas;
Aut hîc aut nunquam vincere vota potes.

In Lugdunum Batavorum C. Barlæus.

CRevit ab Auſonijs olim mihi fama triumphis,
Et Victrix de me præmia Roma tulit.
Reddidit ereptos fugiens Hiſpanus honores,
Dum pro me totus militat Oceanus.
In me terra famem, querulos diſcordia cives,
Et falces acuit mors furibunda ſuas.
Vix nocuit ſecurus Iber: quas ſtruxerat arces,
Deſerit, & pavidos excipit unda pedes,
Dum patriæ pars magna perit, conſervor ab illa;
Totáque ne pereat: ſic periſſe cupit.
Nunc mihi Apollineos meruit ſors iſta receſſus,
Martiáque imbellis mænia Phœbus habet.

Præ

Præ lituis pax alma placet ; præ milite Pallas,
Linguáque Romanos apta referre modos.
Sit Bellum ſenſiſſe ſatis. Jam prælia dicto,
Et mea facundis vocibus arma lego.
At mihi plus debet Pietas ; dum pellitur exul
Flandria, & hoc gaudet vivere tuta ſinu.
Hoſpitium cùm dem profugis, atque otia Muſis,
Vis dici doctam me magis anne piam?

Lipſia.

Lipſia ſe oſtentans ſublimibus aurea tectis,
Lumina dum ſaturat, mens perit icta fame.
Vecta quibus ratibus longinquæ marmora terræ?
Unde frequens flavit pura nitela Tagi?
Huc Cyprum, huc Temeſum, huc Arabas, huc Serica, dices
Sedibus evulſa huc Indica Regna ſuis.
Cum gemma bibitur, vincuntur nectare gemmæ:
Sed lingua varius vincit utrinque nitor.
Nec germana tamen vitiatur Lipſia luxu;
Aſt hunc Germanum Lipſia magna facit.

J. Cæſ. Scaliger.

Lubecca.

Si referam, mihi quis credet? ſub limina mundi
Ultima legiferi jura vigere Dei.
Ingenium, candorem animi, cultúmque, fidémque,
Fortiáque invictâ pectora pura manu.
Dum mirata ſtupet terras Aſtræa relinquens,
Atque putat Cæli Regna, reſedit ibi,

Idem.

Lyſipona.

ERgo gravis grumus quo pallidus emicet auri,
Inſomni tellus ſciſſa ligone gemit.
Cernis, ubi advectus peregrinis flatibus orbis?
Cernis, ubi in parvo eſt India tota ſinu.
Preſſa maris facies; domita eſt violentia Cæli.
Quid reliqui eſt; niſi te carpere ſceptra poli?
Haud potes eſſe Deus: non vis homo vivere. Sors te
Ex homine egreſſum tertia quando capit?

Idem.

Luna.

PReſpiciens tumidâ terram Neptunus ab undâ
Oppida perdoluit condita nulla ſibi.
Immiſitque ſalum, merſitque ſub æquora Lunam:
Merſaque ſic famulis nunc dominatur aquis.

Idem.

Luca.

THuſci Delicium, Thuſci laus inclyta Cæli,
Juſtitiæ illæſo robore Luca potens,
Luca potens opibus, felix concordibus armis,
Cui veneranda fides, mens pia, pura manus.
Cæleſtis vegetum comitatur candor acumen,
Ad veteres referens candor acumen avos.
ratis igitur dum ſervit Hetruria ſatis:
Virtutis merito libera ſola fuit.

Idem.

M. In

M.

In Mechliniam, Maximilianus Vrientius.

MAjeſtate fori, ſacróque verenda ſenatu,
Arx legum, & domina meta ſuprema togæ,
Arx eadem Martíſque domus, Vulcania fornax,
Tam rigidô ferrô, quàm reverenda forô,
Clara viris, ſpatioſa vijs, argentea lymphis,
Cælo hilari, poſitu commoda, pulchra lare,
Tota incerta ſolo, & pariter diſcreta Brabanto,
Vrbs domina, & Domino pro Regione ſuo.
Gemmula munditie, Rumoldi mole decora,
Aucta pio Clero, Pontifice aucta ſacro.
Omnibus illuſtris, lux & nitor undíque amanus
Quem niſi Mechliniam, Melliniam eſſe putes.

In Mediolanum.

COmpoſitos populos, validíque exordia Regni
Excepit facili terra beata ſinu.
Creverat Auſonio commiſtus ſanguine Gallus,
Et dabat antiquo fortia jura Pado.
Tertia ſe adjunxit tantis Germania rebus;
Et ſtetit audaci fama parata manu.
Quævis ſimplicibus jactet ſe gloria ſignis;
Cùm triplex uni contigit aucta mihi.

J. Cæſ. Scaliger.

INCLY-

INCLYTÆ URBIS
MEDIOLANI
ELOGIUM.

Parca, ſi fas eſt dicere,
In SEMILANEAM
Mutata ſuem,
Tergore toto
Æterna ſtamina nenda portavit
MEDIOLANO.

Mænium locandorum primum augurium lana;
Quia Dij laneos habent pedes,
Vtque Deos futuros cives conijceres,
Qui à laneis pedibus inchoarent,
Brutum ferax uberum
Vbertatem ſoli ſuo omine ſecum tulit.
Ænobarbo lanea hæc
Barba non placuit, fortè quia candida.
Indeimpio ferro, quod non tam manu, quàm
corde geſtabat, illam præcidit, ultricibusque
flammis incendit.
Ejus tamen magnitudinem declaravit, quæ
tanta erat, ut Auguſtorum eſſet funeranda
facibus.
Hoc juſtitio non indigebat, quæ juſtitiã ſemper
coluit.
Ex rogo Vrbium Phœnix evaſit.
Cùm incendio præluxit ſuo, toti didicit ful-
gere orbi.
Aliàs Prometheus Cælo ſubduxit faces, poſt-
modum Cælum è Mediolanenſi igne lumina
aſportavit. Hic

HIC AVGVSTINVS ex Manicheis umbris ad
Catholicos tranſivit radios.
Gentilitatis reliquias combuſſit AMBROSIVS.
MEDIOLANVM Gemmam Olympo, & Eccleſiæ facem dedit,
Deo ſuadente, hoſtis inter rudera everſæ urbis
projecit ſal.
Scilicet, ut nunquam putreſceret, & ad civium
capita tranſirent ſales.
Animadverte quot Bibliothecas condierint.
Lacerata Vrbe, ut fracto olim Jovis capite
Pallas emerſit; quæ & Bellonam ſe præſtitit,
honorique maritata natos dedit.
Cauſatique ſunt Gallus & Belga Virginem ipſorum
cladibus fæcundam Mediolani
extitiſſe.
Aſtræa aſtra pertæſa Curiam ſibi in hac Vrbe
excitavit.
Heroum tantum Togis exornatam.
SALVTI ædem, in Vrbem erexit Mediolanenſis?
Orbi Valetudinarium poſuiſſe dicas,
Terreſtribus, ac Transmarinis Aſylum.
Morbi in hoc ſuperbiunt Amphitheatro.
Portentoſus molium erigendarum ſtupor ab
Ægypto Mediolanum tranſijt.
Alpes integras media urbe congeſſit.
Gigantes iterum Cælo bellum inferre dubitares,
Niſi perfoſſos induſtriq; artificio cælatos montes
Deo in delubra ſacraſſet.

Ne

Ne credas tamen montium altitudinē Mediolanenſis animi ſublimitatem metiri;
Nec tu, Inſubridum Fæliciſſimum Caput
Guttam atramenti menti exæques meæ.
Audentem calamum
Tuæ Gloriæ alis inſere.

Leo Matina.

Auſonius de Mediolano:

Svnt Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores; tum duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populíque voluptas
Circus, & incluſi moles cuneata theatri:
Templa, Palatinæque arces, opuléntque monetæ,
Et regio Herculei celebris ſub honore lavacri,
Cunctáque marmoreis ornata periſtyla ſignis,
Mœniaque in valli formam circumdata labro.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt: nec juncta premit vicinia Romæ.

In Maſſiliam.

Inclyta Romanis æquata palatia rebus,
Iam modicis miſerum eſt delituiſſe caſis,
Ah ubi compoſiti mores, ſapiensque ſenatus?
Obruta ſic veteri mens ſine mente jaces.
In tenui victu tenuis quoque gloria. Sordes
Plusquàm Græca: humile eſt, & ſine more genus.
Divinas petiêre tuas gens extera leges.
Hoc verum dare ſit, nec retinere ſibi.

J. C. Scaliger.

Mem-

Memphis.

PÆnè etiam ad nigram Memphis porrecta Syenen,
Panè etiam Nilo longior ipſa meo;
Inveni tamen extremo ſub margine finem:
Sic ſperare animo, & te decet eſſe tuo.
Africa cur poſita eſt vobis pars tertia mundi,
Tertia quando orbis pars ego ſola forem? Idem.

In Mantuam.

MAxima cùm veteri turgeret Hetruria Regno,
Sceptráque terrarum jungeret aucta mari;
Mole novâ tumuit, ſoliiſque excrevit avitis,
Ut premeret forti jura aliena pede.
Inde eſt in ſuperas deducta Colonia terras:
Non tamen his potuit Mantua tota dari.
Clara viris, felix ducibus, divo inclyta cygno,
Quem vitreis aluit Mincias Andis aquis.
Mantua dives avis magno non ceſſerit orbi:
Tota tamen parte hâc vincitur ipſa ſui.

Idem.

In Meſſanam.

INdomitæ ſedeo ſpectatrix tuta Charybdis:
Oſtendóque aliis limine grata viam.
Mortales, ſi ſic faciant, meliore fruantur
Numine. Nunc homini vera Charybdis homo eſt.

Idem.

In Mutinam.

NEſcit, quo potiùs tumeat Rangonia tellus:
Tot ſe fama nova vertit in ora vetus.

Fama vetus, tot Fama recens ſe vertit in ora;
Vt tituli numeros neſciat ipſa ſui.
Mars catus invictis admiſcet viribus artem:
Ardua ſic gemino nomine bella docet.
At Venus æthereas cùm finxerit aurea formas:
Verborum adjunxit pondera picta modis.
Inde triplex liquidos animos inſpirat Apollo:
Inde triplex nitidâ gratia juncta manu.
Nulla deeſt Erato: capiet te candida Pitho:
Vt mox oblitus tu videare tui.
Neſcit quo potiùs tumeat Rangonia tellus:
Ergo nec dignum, velle tumere, putat.

Idem.

In Magdeburgum.

VOs ego magnanimis invictis Saxonas armis,
Atque graves Martis turbine canto duces.
Non Macedo tu miles eras. Sic Græcia mendax
Facta tua in laudes tranſtulit alta ſuas.
Non veteres huc te quondam misêre Britanni:
Quin jam ſervivit terra Britanna tibi.
Ipſa tua es: primùmque tuis cum montibus orta,
Cum cæli ipſius finibus orta tui.
Dives agri, dives quæſitæ veſtis, & auri:
Gens dubium eſt, armis Juſtitiáne prior.
Eſt hominis, patriis alios bene vincere telis.
Juſtitiâ te ipſam vincere velle, Dei eſt.

Idem.

N.

In Neapolin.

Parthenope varij ſtatuit diſcrimina mundi:
Quæ tria diverſo tempore ſæcla dedit.
Aurea Pythagoras communis commoda vitæ;
Et docuit Sophiæ Græcia magna Procos.
Altera ſuccedens ſtudiorum mollior ætas;
Admiſit Muſas debiliore ſono.
Tertia vulnifici quæſivit præmia ferri;
Atque equitum potuit ſola tenere decus.
Sic ex privatâ & ſervâ Regina ſuperſum;
Roma, quod es, fueram: quæ modò ſum, quod eras.

J. C. Scaliger.

In Eandem.

Quidquid avara negat noſtro natura Theatro,
Aut pelago aut terris crede nequiſſe dari.
Ver hîc perpetuum, Pax his ſedet aurea campis:
Dic cælum & fruges ſidera odora meas.

Balduinus Cabillavus S. J.

Nanetes.

Vicit Aremoricas animoſa Britannia gentes:
Et dedit impoſito nomina priſca jugo.
Nunc etiam Patriæ remanent commercia linguæ:
Ultimáque à Gallo diſcrepat ora ſono.
Impavidum genus; Argivæ gens docta Paleſtræ:
Nec minùs in bellis utilis, acer eques.
Par domino quadrupes, ſævis haud ſegnior armis:
Reſpondent animis robora firma feris.
Gens tamen hæc eadem patrijs intenta choreis;

Laxat inexpleto pectora læta mero.
Tanta etiam pecoris, tanta eſt opulentia frugum, ut
Cum Cereris certet vomere Magna Pales.
Quid varias referam piſcoſa ſub æquora turmas?
Abditáque ignoto littora capta mari?
Ne partire plagas, ut partis des mihi partem;
Sed Galli hæc dicas integra Regna ſoli.

J. C. Scaliger.

Narbona & Baiona.

E Recta gemina dubio pro limine turres
Abſterrent patrijs hoſtica ſigna bonis.
Utráque perpetuis fera gens exercita bellis:
Utráque vicinis gens inimica ſuis.
Frangit inacceſſo aſſultus diſcrimina muro:
Quique magis terrent, hos timuiſſe facit.
Illa ferox opibus, hæc paupertate ſuperbit:
Hæc cives alit, hæc ridet in hoſte famem.
Vivite felices, ac res firmate ſecundas:
Et bene cum veteri ſit nova juncta fides.
Pro tantis meritis gemina urbs tutiſſima, rebus
Promotis, illi tu, excubet illa tibi. Idem.

In Norimbergam.

DIva mihi extremi da munera ſacra laboris.
Non tamen extremo conſpicienda loco.
Sed velut abducto veneramur in ordine cælum,
Hic ubi naturæ fine quievit opus.
Non potes æthereis deducere ſedibus aſtra,
Invenies, tibi quæ Norica terra dabit.

Hunc

Hunc ſibi corruptas terras Aſtraea relinquens
Fatali ſtatuit ſede tenere locum.
Quis putet horrifico ſociatas Marte Camœnas?
Sacra tamen duplex tempora laurus obit.
Martis habe, & Phœbi felicia tempora laure:
Sanctáque ſit valido fœdere juncta fides.
Omnibus ex iſtis ne tu ne dempſeris unum.
Addere quin potiùs omnia magna, tuum eſt.

Idem.

P.

In Parmam.

I*Nventum medijs præclarum nomen in armis,*
Prædita quo ſit gens ignea Marte docet.
Ingenium rapidum facili flammatur ab ira:
Sed viget in patulo pectore purus amor.
Magnanimo pretium eſt, non diſplicuiſſe pudori.
Hoc ſatis. officijs cedere turpe putat. Idem.

In Patavium.

H*Vc antiqua Deûm domus Ilium, & inclyta bello*
Robora, Dardanios expoſuêre lares.
Decepti patrias, non victi, amiſimus oras;
Perpetuis res eſt Græca valere dolis.
Qui vicêre, ſuos ideò amisêre Penates:
Aſt nova ſunt profugis regna parata viris,
Arma decent Teucros, vafros ſapientia Graios:
Victis Euganeis pectus utrumque dedi.
Regna vides Veneto Phrygijs majora ruinis:
Atticáque à Patavo pectore terra ſapit. Idem.

In Peruſiam.

SAnguineo audaci connata Peruſia ferro,
Tanquam hoſti temerè ſæpe inimica ſuis.
Partibus imperium, vitales partibus auras
Colligit, inviſis partibus atra Deos.
Væ tibi, quæ te ſic odio partiris amaro:
Eſt, quæ non toto eſt corpore tota, nihil.
Quin etiam fera jura tui ſcripsêre coloni:
Quæ jubeant tetras ſemper habere manus.
Veſtrarum hæc igitur ſumma eſt ſapientia legum,
Nolle placere alijs, velle nocere ſibi. Idem.

In Pictavium.

SI Studium eſt animæ, veniunt à corpore vires,
Galliáque à meritis poſcit utrunque ſibi:
Hæc ſtudijs, aliæ belli exercentur amore:
Pictavium eſt animus: cætera corpus erunt.
Idem.

In Piſas.

PIſa vetus, victi ſpolijs Orientis onuſta,
Invidiæ armavi livida tela trucis.
Si nocuit viciſſe, alijs ſic vicimus ergo.
Sic res eſt humili tutior arcta loco.
Mortales, ſperate vices, nec credite Fatis:
Nam quod nos alijs, illa dedêre mihi. Idem.

In Piſaurum.

HIc Romæ ſulſit primum ſpes ultima victæ:
Vnde loco, atque urbi nomina ducta canunt.
Dum Gallus Romana actis imitatur avitis

Arma

Arma, premens arma Romula victor adeſt.
Poſtquam ſollicitâ poſuit diſcrimina mente:
Torpuit occulto dextra ſoluta metu.
Ah quid agis ſoboles priſcorum invicta Deorum?
Rerum, non auri ſumma petenda tibi eſt. Idem.

In Placentiam.

NObilis antiquo porrecta Placentia muro
Hinc hoſtem, hinc rapidas fluminis arcet aquas.
Raræ artes: gens ſcita, hilari ſed dedita luxu:
Ingenium anguſtæ vix patiuntur opes. Idem.

In Pragam.

SEpta metalliſero circum quæ monte ſuperbis
Herciniæ in medio Martia Praga ſinu.
Linque alijs populis tanta munimina ſedis:
Qui nequeant armis jura tenere loci.
Námque tuum eſt, non præſidio turgere locorum,
Sed loca præſidijs fidere poſſe tuis. Idem.

R.

In Raguſiam.

QVā fera, quámq; inculta, vides, hæc ſaxa, viator,
Tam ſunt ingeniis pectora culta meis.
Munia multa ſenum complet cordata juventus,
Et viridis juvenum multa ſenecta gerit.
Quod tetricæ rupi natura noverca negavit:
Hoc eadem natum mater habere dedit.
Civem alibi divina ſuæ prudentia terræ
Exhibuit: terram hic civibus illa ſuis.
I. C. Scaliger.

In Ravennam.

PRima per Æmathias quondã vetus edita ſilvas
Adriacum ſecuit Theſſala prora ſinum:
Deſertúmque ſolum, triſtique informe palude
Munijt: atque urbis nomen habere dedit.
Hæc belli ſedes, gelido cùm mites ab axe
Proruit, & Graios expulit inde duces.
Hinc ſedet Illyrici proſpectans prælia Nerei,
Jonius reduci cùm tumet æſtus aqua,
Hinc oculus ſuperique maris, terræque jacentis
Excubat. Hinc duris utráque meta viris.
Si jungas ſolitæ liquentia marmora terræ:
In medio tanquam cor, metuenda jacet. Idem.

In Rhodon.

CLara Rhodos, ſed clara olim: nunc horrida nimbis
Obnubit nitidum dira procella caput.
Ah dolor, ah mors, ah ſi quid morte atque dolore
Durius, aut etiam tetrius eſſe poteſt.
Stertitis? & ferus armenti lupus optima carpit?
O jam ſit jam aliquis velle perire pudor. Idem.

In Rotomagum.

TRanquillæ ſpecies, & imago plurima vitæ
Sola, aut nunc paucis Neuſtria dives eris.
Illecebræ omne genus fundit tibi blanda voluptas,
Quæ deſunt, orbis nec ſibi totus habet.
Gens numeroſa, ferox, Arctoi limina mundi
Mutavit terris uberioris agri.
Expulit affines belli diſcrimine Francos:
Ceſſit & invictis terra Britanna Viris.

Ignoti Oceani domina es: neque Gallia magnum
Te ſine, Reginæ nomen habere poteſt. Idem.

In Romam Florentem Jul. Cæſar Scaliger.

Vos ſeptemgemini cæleſtia pignora montes,
Vosque triumphali mœnia ſtructa manu:
Teſtor, adeſte, audite ſacri commercia cantus;
Et Latios animos in mea vota date.
Vobis, dicturus meritis illuſtribus Vrbes,
Has ego primitias primaque ſacra fero.
Quin te unam laudans, omnes comprenderit: orbem
Non urbem, qui te noverit, ille canet.

Franciſcus Bencius de Societate JEſu.

Roma vetus, totum manibus complecteris orbem,
Seu dare vis terris, ſeu dare jura mari,
Vna triumphali diademate cingeris: una
Omnia Tarpeij cernis ab arce jugi.
Te caput, ad cælum tollentem ſuſpicit Atlas,
Te ſibi ſubſtitui pondere ſeſſus avet.
Salve magna Parens virtutum, magna Virorum,
Qui titulos armis, qui peperêre togâ.
Nil tantis certet tibi laudibus: omnia vincis,
O decus, ô hominum gloria, Roma vetus.

In eandem *Qualis eſt hodie.* Janus Vitalis Panormitanus.

Qui Romã in mediâ quæris, novus advena, Româ;
Et Romæ, in Roma nil reperis mediâ.

Aſpice murorum moles, præruptáque ſaxa,
Obrutáque horrenti vaſta theatra ſitu:
Hæc ſunt, Roma viden, vel ut ipſa cadavera tantæ
Vrbis adhuc ſpirant imperioſa minas?
Vicit ut hæc mundum, viſa eſt ſe vincere: vicit:
A ſe non victum ne quid in orbe foret.
Nunc victa in Roma victrix, Roma illa ſepulta eſt,
Atque eadem Victrix, victáque Roma fuit.
Albula Romani reſtat nunc nominis index,
Quaque etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Diſce hinc, quid poſſit fortuna: immota labaſcunt,
Et quæ perpetuò ſunt agitata, manent.
Qui miſeranda videt Veteris veſtigia Romæ,
Ille poteſt meritò dicere, Roma fuit.
At qui celſa novæ ſpectat palatia Romæ,
Hic meritò poterit dicere, Roma viget.

Franciſcus Bencius de Societate Jeſu.

R*Oma nova immenſo lucem quæ dividis orbi,*
Seu tua das terris, ſeu tua ſacra mari.
Tota ſalutifera fulges cruce: tota triumphas,
Vt Vaticana maxima in arte ſedes.
Te dominam rerum, cœlóque Erebóque potentem
Senſit, & è ſtygiis horruit orcus aquis.
Salve Dia Parens, ſalve domus alma piorum,
Morte quibus domitâ pandis ad aſtra viam.
O Sola, ô ſummo felix à Principe Princeps,
O quæ mortales una beare poteſt!

In Romam, Balduinus Cabillavus Soc. J.

P*Yramidas, circos, Capitolia, templa, Coloſſos,*
Amphitheatra, domos, balnea, naumachias,

Purpureosque patres Divûm genus aſpice : dices,
Par Vrbs hæc cælo, cur agit exul humi ?

In Rotterodamum, C. Barlæus.

INclyta veliferus pulſat mea mœnia Moſa,
Parte aliâ placidis Rottera lambit aquis.
Occiduum latè commercia portò per orbem,
Gallia quas poſcit, quáſque Britannus opes.
Hic meus Auſonij vindex ſermonis Eraſmus
Vagijt, & cunis abdidit ora ſuis.
Mæoniden jactet Colophon, Verona Catullum,
Sufficit ad Laudes hunc genuiſſe meas.
Nunc tantum fragili veneror ſub marmore numen,
Dum ſilet in medio lingua diſerta foro :
Quem genui, Baſilea tegit, Sapientia ſatis
Exîmit, & cineri vult ſupereſſe ſuo.
Me timet Hiſpanus, timuit grex barbarus ipſum,
Ille meis victus claſſibus, hic calamo.

Rupellâ à Richelio captâ An. 1628. erigebatur Victori Chriſto tropheum, Cruce loco eminentiſſimo affixâ, cum hâc inſcriptione:

FUſis terrâ mariq; Anglis, fractis Sectariorũ partibus, victâ ſubditorũ rebellantiũ pervicaciâ ; vero Dei cultu reſtituto, oceano compedibus vincto, Rupella in deditionem accepta, dubium majore clementiæ an fortitudinis exemplo, Regibus & Principibus fruſtrà conjurantibus, victor exercitus Deo Optimo

moMaximo,&Ludovico XIII.Galliarum,Navarræque Regi invictiſſimo, Pio, Juſto, Triumphatori hoc monimentum ſacravit,Principibus decus,terror hoſtibus, applauſus Gallis, exemplum poſteris,Orbi vniverſo portentum.

Alia Rupellæ captæ inſcriptio:

Ludovico XIII. Regnante.
Armando Car. adminiſtrante.
Principibus Europæis fruſtra
In Galliam conjuratis.
Injecta Oceano fræna.
Rupella capta.
Hæreſis conclamata.
Obſtupeſcis, & Miraculi autorem quæris?
Non eſt unius hominis tantum opus.

Duo ſunt.

LVDOVICVS fecit.
ARMANDVS invenit.

De hâc inſcriptione quid ſentiat Gabr. Bartholomæus Gramond, vide apud eundem Hiſt. Galliæ lib. 18. *Anno* 1628.

S.

In Salisburgum.

QVam ſuper impoſitam miraris rupibus Vrbem,
Quámq; vides geminum tollere ad aſtra caput:
Si licet, & fas eſt primas evoluere cunas,

Julia

Julia non viſa eſt ulla fuiſſe minor.
Julius huic genitor, Salsâ pôſt vagijt infans
Sub Nutrice. iſto filia digna Patre.
Vagijt: at poſtquam Rudberti ex ore pependit,
Romano didicit more diſerta loqui.
Virgilius defenſor erat, nihil illa fefellit,
Sub defenſoris creſcere viſa manu.
Jámque ſuis major cunis oſtenderat, olim
Sub Paride in magnum creſcere poſſe decus.
Surgit hic, & cunas abicit matura Leonis
Nunc in Lodronij nubilis illa ſinu.

Aliud Salisburgi Elogium vide in Itinere Oratorio Die 5. Hora 4. §. 3.

In Senam.

CVm premere invictis vicinas viribus Vrbes,
Martius imperij ſollicitaret amor:
Abſtinui, & juſtam colui ſub pace quietem:
Summáque judicij maxima, nolle, fuit.
Quotnam oblita ſui, quæ regna aliena petebant?
Vt mea ſim; pro me ſit potuiſſe ſatis.

I. C. Scaliger.

In Salernum.

QVæ Boreæ gelidas furias contemnit ovantis,
Torva procelloſi deſpicit arma Noti.
Medorum & ſilvis fœcundas provocat auras:
Fundit & á biferis Indica dona jugis.
Protinus Autumnus Veris cum tempore certat:
Et Ver cum Autumni tempore certat item.

Huc acceſſit hiems vernantibus uda capillis:
Et peperit mirans, & ſibi poma legit.
Tuta mari fruitur: terræ dominatur amatæ:
Et cœli mutat jura, quid ergo? Dea. Idem.

Soloduri.

IN *Celtis nihil eſt Soloduro antiquius, unis*
Exceptis Treveris, quorum ego dicta ſoror.

In Senones.

QVæ *Senonum vires, & quanta potentia ferri:*
Trajectæque Alpes, captaque Roma docet.
Hiſtram, atque Illyricum ſuperant, Martiſq; miniſtrũ
Qua Botana tuâs Stopia fugit aquas.
Subdit ſe Macedo: ſubmittit Achaica tellus:
Horridáque armigero Thracia cedit equo.
Atque hinc res Aſiæ tremefactæ, & inhoſpita Ponti
Litora, & Armenias quæ colit ora duces.
Hæc ſumma eſt. populus, caſtris, & regibus harum,
Armarum arbitrio ſors rata quæque fuit.
J. C. Sealiger.

In Syracuſas.

I*Lla ego ſum Romæ labor, atque injuria Pœni:*
Pro me etiam ſtragis Græcia ſenſit onus.
Figere quæ voluêre aliis in ſedibus arma,
Exturbata jacent ſedibus Orba ſuis. Idem.

In Sylvam Duris. Maxæmilianus Vrientius.

D*Elitium Triviæ, Belgi Dodona, Batavûm*
Terror, & Huniacæ Scylla probrumque fugæ.

Arx fidei, cos virtutis, conſtantiæ aſylum,
Regum aquilæ Harpyijs invia tota domus.
Laurorum nemus & palmarum illuſtre viretum;
Sylva Jovis fuerit, ſit niſi Sylva Ducis.

T

In Tarentum.

M*Ollia quæ tenuis demittunt pondera lanæ*
Tonſa Tarentinis jugera læta jugis,
Hæc eadem complent vagrandibus horrea culmis:
Et tua ſub prælum munera, Bacche, ferunt.
Nulla eſt in Latio Pomona beatior usquam:
Nulla eſt Heſperidum gratior aura locis.
Se totum exhibuit lauta ad convivia Nereus:
Servit & innumeris proxima ſilva feris.
Hic ver perpetuum eſt, tantùm pro frugibus æſtas:
Nectareas ſuperant ſidera ſœta dapes.
Quod ſi cælum imis vellet mutare ſuperna:
Haud alijs poterat plenius eſſe locis.

J. Cæſ. Scaliger.

In Tarviſium.

F*Lavius, & vitrâ Sillis me proluit undâ,*
Sunt Bacchi, & Cereris, ſunt mihi dona Palis,
Manſi una acciſis Venetûm fidiſſima rebus,
Sorsque, quod haud crebrum, læta ſecuta fidem eſt.
Mitte Saguntinas memorare Hiſpania clades:
Plus eſt, quòd ſalvæ ſtat mihi fama fidei.

Aloyſius Lollinus.

In Taurinum.

EXcipiens gelidas patrijs ex Alpibus auras
Heſperij princeps jus capit una ſoli.
Terra ferax, gens læta, hilaris, addicta choreis:
Nil curans quicquid craſtina luna vehat.
Ingenium natura aptum, ſed more ſolutum:
Plus animo capiens, quàm dare poſſit ope.
Felix Marte novo, felix melioribus armis:
Namque recens acuet pectora lenta metus. Idem.

In Ticinum.

QVà citus Eridani ditat Ticinus arenas,
Gratus honoratas hoſpitis hoſpes aquas:
Lux ſtudiorum ingens: rerum pulcherrima ſedes
Signat inexhauſti jugera plena ſoli.
Devicta Italia, reliquis voluere relictis
Magnanimi hac potius parte ſedere Duces.
Pace tua, Heſperia alma parens, hæc dixero: quanta es?
Quantáve ſum? totum es: pars tamen una placet.
Idem.

Toleti, ante portam.

ERexit factore Deo Rex inclytus urbem
Bamba, ſua celebrem protendens gentis honorem.

Ibidem.

VOs Domini Sancti, quorum hic præſentia fulget,
Hanc Vrbem, & plebem ſolito ſervate favore.

In Toloſam.

QVìſquis es, impurâ damnas qui voce Toloſam:
Diſce verecundo plenius ore loqui.

Fœta

Fœta malis, inſenſa malis: cum crimine juſta
Exercet leges legibus orba ſuis.
Cogitur à propriis alienâ vivere mente,
Aſpera crudeli ſub pietate parens,
Magna quidem, ac Francis æquata ſuperbia terris,
Vt jam jam ſeipſam vix tolerare queat.
Sumptus inexpletus cives ſpoliavit inertes.
Sic dives vivit, ut moriatur egens.
Inde vaſer mercator agris ſucceſſit ademptis:
Ingeniique frequens advena fretus ope.
Mox ſeipſum ignorans, ſortíſque oblitus avitæ
Certat cum nitidâ, nobilitate, domo. (eſt?
Quid ſupereſſe bonis? bona quid ſupereſſe putandum
Ante ſua hunc, hunc nec poſt ſua fata mori.

J. C. Scaliger.

In Tridentum.

MObilis Italico quæ prima urbs imminet orbi,
Auſoniis miſcet Norica verba ſonis.
Romanum ingenium eſt, animus Germanus, acerba
Vltio, ſi obducta eſt nube ſerena fides.
Accipere à Veneto, cuius pars, milite leges
Hæc potuit: ſi non, & valet ipſa dare.

Idem.

In Turonium.

SPlendidior nuſquam Gallis opulentia regnis;
Et nuſquam noſtro major in orbe nitor.
Non æſtus nocuit pecori, non frigora pomis.
Nec jam hortis certet Græcia fœta ſuis.
Nunc etiam Phrygiæque nurus, artéſque Latinæ,
Atque petunt radios Serica regna meos.

Aut ergo hic etiam Elyſij ſunt munera cœli:
Aut nullum vidit Græcia vana ſuum.

Idem.

In Troiam.

Bis vetus everſum eſt Argivis Ilion armis:
Bis nova victores Græcia luget avos:
Maxima Troianos retulit cùm Roma nepotes:
Atque iterum, imperium cùm modò Turcus habet.

Idem.

In Tunetum.

Invide demolire altas Carthaginis arces:
Quem ſors æqualis, párque futura manet.
En te invito iterum florens, exciſa renaſcor.
Te non vinco ego: nec me tamen ipſa premis.

Idem.

Tiguri.

Sex minus elapſi fuerant quàm mille bis anni,
Vt novus ex nihilo conditus orbis erat.
Reſtabant totidem venturi ad tempora Chriſti;
Si tamen ex illis bis duo luſtra feras.
Inclytus hic primam ſtatuit cùm Turcitus Vrbem,
Quæ Fundatoris nomine dicta fuit.
Poſt ubi divitijs, terris & viribus aucta eſt,
Huic Tiguri nomen, gens Tigurina dedit.

V.

In Valentiam Hiſpanorum.

Una tibi ante oculos populi ponatur imago:
Cætera jam ex illa natio tota patet.

Ægra Ceres: regio torrenti infamis ab æſtu:
Arida Cerbeream colligit aura ſitim.
Nuſquam tutus abit rapido latrone Viator:
Nam probus & pius eſt tollere ludus opes.
Tum tua poſcenti exprobrat tibi linquere vitam:
Dat libertatis præmia dura, mori.
Faſtus inexhauſtus, luxus ſub paupere vita.
Et furiat mentes gloria vana feras.
Quæ liquêre hoſtes, ea cuncta vorabit amicus:
Nil ubi promiſit, tunc tibi tuta fides.

J. C. Scaliger.

In Venuſium.

Parva quidem, atque humilis, pæne & ſine nomine tellus,
Aut par, aut major te, tibi Roma fui.
Cede furis: peperi tranquillum ego lenis Olorem,
Cujus ope ad multos vita perennis eat.
Cujus ope effectum eſt, ut quæ ruitura fuiſti:
Vel nunc, cùm nihil es, tu quoque viva voles.

Idem.

In Viennam.

A*Spice Barbaricis quæ propugnacula bellis:*
Quæ ſtet fulmineis machina torva pilis:
Adverſus ſpurium, quæ fortia pectora, Turcam
Apparet intrepidâ Norica dextra fide.

Illa igitur validis aſſultibus irrita fudit
Prælia, quæ capto fecerat hoſtis agro.
Quin etiam patrij demiſſis turbine cæli
Auxilijs largo perpluit imbre polus.
Qualia regna putes, Numen quibus excubat armis?
Nónne DEI eſt, pro quo pugnat & ipſe DEVS?

Idem.

URBIS VENETÆ ELOGIUM.

Urbs Veneta Sola in Salo,
Sola ſub ſole ſpectabilis,
Inviſa tantùm invidiæ.
Medio in mari nihil marinum habet,
præter ſalem.
Sedem in aquis ſtabilivit ſuam,
Ut in labili unda inviolabilem perdurare
obſtupeſcas.
Fundamenta gloriæ ſuæ in mobili ſolo jacta
immobiliter conſiſtunt.
Quot Duces, tot Luces Reipublicæ dedit.
Soles dicas, Gentilitio in Leone efferueſcentes.
Nunquam deplorata, ſemper implorata.
Quid prius miraberis, civitatis miracula, an
Senatus oracula?
Pudibundam lauda virginem
externi thalami non uſtam tædis.
Inclytâ tamen gravidam ſobole,
quam non ut Jupiter fracto,
ſed ſano peperit capite.
Coronatam orbis miratus eſt natam,

Can-

Canuit in pubertate; quia exorta cum ſenibus.
Pubeſcit in ſenio, quia lac ſugit ex cano capite.
Civium, cùm omnes ſint Reges, nemo Rex
Purpuram hoſtili ſanguine ſibi tinxit.
In ſago Cæſares, in toga non deſunt illi
Catones.
Thraciæ lunæ cornua didicit frangere cornu.
Solis volucrem, Joviſque fulminantem alitem
non horreſcit.
Nemeæam habet Belluam unguibus armatam,
quam ex æthere accerſivit ad æquora;
ut inter aquas fulminum derideret ignes.
Inſidijs impervia excubitore non indiget.
Lumine dormit aperto.
Urbémne an orbem dixeris, neſcias
Iſtam, cujus inſigni Fatum mihi cudit in nomine
Amoris ara.

Leo Matina B.

In Venetias. J. C. Scaliger.

PErvia Barbaricis tellus OEnotria turmis
Pertulit impoſiti pondera dira jugi.
Ipſa ſuos flevit populares Roma Quirites:
Senſit & indomitæ noxia tela manus.
Haud tulit hoc Genius: cujus fatalibus auſis
Tutior in medio Roma renata mari eſt.
Clara virûm virtus animo: inſatiata cupido
Imperij: vaſtæ non numerantur opes.
Juppiter, haud temerè tua ſunt ita diſſita cœli
Mœnia. Si poſſunt tangere; parte cares.

In eaſdem, Joſephus Baptiſta.

PEr mare velivolum ſedes Antenore natis
Tollit inacceſſum nunc operoſa caput.
Miratur Pelagi Rector, dum mœnia ſurgunt
Inter fluctivagas ambitioſa rates.
Diſce hinc, quid poſſint. Venetis per cærula ponti,
Eſt ubi nil firmum, ſtat benè firma domus.

In eaſdem, Sannizarius.

VIderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toti ponere jura mari.
Non mihi Tarpeias, quantumvis Juppiter, arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, urbem aſpice utrâmque:
Illam homines, dices, hanc poſuiſſe Deos.

Juſtinianus Barbus Senator Venetus ſcribit, juſſu Senatûs Populique Veneti Jacobo Sannazario pro his verſiculis ſexcentos aureos eſſe datos.

In eaſdem, Joan. Ovven.

UT mare nil niſi aquæ, Cœlum nihil eſt, niſi ſtellæ:
Sic ſunt Venetiæ nil niſi divitiæ.

Idem, ad Venetos.

Imperij Emporij (mirum) fundamina veſtri
Funditus in fluido ſunt ſolidata ſalo.
Ne ſolùm mutis habitentur piſcibus undæ,
Æquoris incultas incoluiſtis aquas.
Orbis in Oceano quæ quondam pars fuit, urbs eſt:
Naturâ ante ſalum quod fuit, arte ſolum.
Imperio ſedem hanc æterno plus propè vobis
Quàm ſibi conſtantem conſtituiſtis aquam.

Quid

Quid mirum, veſtram conſiſtere legibus urbem,
Legibus exleges cùm teneatis aquas?

In Vicetiam Jul. Cæſ.
Scaliger.

BAcche pater, Ceres alma, bona, bona Numina pacis:
Quæ patulos agros, qui juga curva tenes;
Quid rerum, quid amicitiæ cum Marte cruento
Vobiscum? veſtrum ut vexet utrumque furor?
Pulchra racemiferos domitat Vicetia colles,
Lætáque ſpicilegi jugera fundit agri.
Cædis amor, cædis germanæ inſana cupido:
Nec patrius nato eſt tutus ab hoſte cruor.
Nuſquam iter eſt: vaſtata jacent latrone protervo
**Ruſcula: corruerunt ignibus hauſta ſuis.*
Parce (nefas) ſcelerare manus, Gens debita cœlo,
Imbuéque ignoto pectora digna DEO.

In Veronam, Jul. Cæſ.
Scaliger.

ITaliæ canimus ſemper florentis ocellum:
Calliope nequeat grandius ulla loqui.
Aucta Deis, auctura poli Verona Quirites!
Quot cives, tot habens ſidera digna Jove.
Non animi, non ingenij vigor acrior uſquam:
Nulla creat plures Martia terra duces.
*Trasferre in Cœlum *voluit ſibi Juppiter: Atqui*
Clarior in noſtris maluit eſſe locis.

Item.

Vrbibus Italiæ præſtat Verona, ſuperbis
Ædibus, ingenys, flumine, ſonte, lacu.

Cotta.

Verona, qu[illegible] viderit,
Et non amarit protinus
Amore perditiſſimo;
Is, credo, ſeipſum non amat,
Carétque amandi ſenſibus,
Et odit omnes gratias.

In Volſinium.

HEtruſci imperii priſcum caput; aurea ſedes,
Magna una atq; eadem perdita mole ruit.
Fecit opes virtus; opulentam evexit ad Aſtra:
Aſt opibus tumidus luxus ad ima ruit.
Obſuit alta quies, ſervóque objecit inerti:
Enervant rigidas otia lenta manus.
Quos amat, his juſto condit DEVS acta labore.
Sic mala dura juvant: ſic bona blanda nocent.

J. C. Scaliger.

AREOLA II.
INSCRIPTIONES TEMPLORUM.

In Aſpero colle Belg.

DEO OPT. MAX.
DEIPARÆQUE VIRGINI
MARIÆ,

Magnæ in rebus afflictis Auxiliatrici,
Quà Mater Chriſti eſt, potenti,
Quà Mater noſtra eſt, volenti:
Quæ COLLEM ſaltibus ASPERUM elegit,
Ut miraculorum famâ inclytum
Super altiſſ. montium culmina exaltaret,
Unde nominis ſui gloriam cultúmque
Per innumerabilia beneficiorum miſſilia
Frendente nequidquam hæreſi
Toto terrarum orbe diffunderet.
ALBERTUS ET ISABELLA
Archiduces Auſtriæ, Belgicæque Principes,
Tutelari ſuæ, ac ſuorum Divæ,
Poſt Civilia XI. amplius annorum bella,
Pacatis Belgicæ Provincijs,
Publicæ gratitudinis ergò

Hanc Baſilicam à fundamentis excitârunt;
Anno partæ ſalutis cIↄ. Iↄc. IX.

Templo B. V. in oppido Bethleem
Luſitâniæ, inſcriptum:

Vaſta moles ſacrum divinæ in littore Matri
Rex poſuit, Regum maximus, Emmanuel:
Auxit opus hæres Regni & pietatis; uterque
Structura certant Relligione pares.

Vetus inſcriptio Panthei Jovis
Ultoris, Romæ.
In Frontiſpicio leguntur ſequentes Tituli:
unus litteris pedalibus.

M. AGGRIPPA. L. F. COS.
TERTIUM. FECIT.

Alter paulò inferius, litteris digitalibus:

IMp. Cæſ. L. Septimius. Severus. Pius. Pertinax. Arabicus. Adiabenicus. Parthicus. Maximus. Pont. Max. Trib. Pot. XI. Cos. III. PP. Procos. Et Imp. Cæſ. M. Aurelius. Antoninus. Pius. Felix. Aug. Trib. Poteſt. V. Cos. Procos. Pantheum Vetuſtate. Corruptum. cum. Omni. Cultu. Reſtituerunt.

Nova Inſcriptio.

PAntheon ædificium toto terrarum orbe celeberrimum ab Agrippa Auguſti genero impiè Jovi, cæteriſque mendacibus Dijs, à Bonifacio IV. Pontifice Deiparæ, & Sanctis Chriſti Martyribus piè dicatum, Urbanus VIII. Pont. Max. Binis ad campani æris uſum turribus ex-

exor-

exornavit & novâ contignatione munivit. An. Dom. M. D C. XXXII. Pontif. IX.

Inſcriptio templi Societatis JESU, Romæ.

ALexander Farneſius Card. S. R. E, Vicecancellarius, Pauli III. Pont. Max. nepos, cujus auctoritate Soc. JESU recepta primùm fuit, & decretis ampliſſimis ornata, Templum hoc ſuæ monumentum & religionis, & perpetuæ in eum ordinem voluntatis, funditus exſtruxit. Anno Jubilæi MD. LXXV.

Alia.

S. JGNATIO LOYOLÆ
Societatis JEſu Fundatori,
Ludovicus Cardinalis Ludoviſius
S. R. E. Vice Cancel.
Anno M. DC. XXVI.

S. Ædis Lauretanæ inſcriptio.

Hæc eſt ſancta domus, tenuit quam Virgo Maria
Cum puero JEſu pauper in orbe manens.
Hæc eſt ſancta domus, luſtrat quam Virgo Maria
In Cœlo reſidens, gloria magna Deo.
Felices illi, queis tantum viſere templum
Contigit, & gratias obtinuêre Dei.
Vos ergò Pueri Chriſtum, vos læta juventus
Ducite, cantantes carmina læta, choros.

Alia Laureti ante ædem ſacram Deiparæ.

Tem-

TEmpla alibi poſuêre Patres: ſed ſanctius iſtud,
Angelica turmæ, Virgo, Diúſque locant.
Nullus in Orbe locus prælucet ſanctior iſto,
Quáque cadit Titan, quáque reſurgit aquis.

Gandavi ante Templum S. Franciſci.

QVi Franciſce tui ſubeunt pia limina Templi,
Fac ſubeant precibus cœlica templa tuis.

Pariſijs in Fundamento Eccleſiæ S. Ludovici.

D. O. M.

SANCTO LUDOVICO,

QUi totum Orbem in Templum DEI
armis animíſque deſtinavit.
LUDOVICUS XIII.
Hoc templum erexit:
Ut, quem Gallia coluit ut Regem,
amavit ut patrem,
Hîc veneretur ut Cœlitem.
Anno M. DC. XXVII.

Templo Fortunæ. Præneſte.

TU quæ Tarpeio coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex ſemper Fortuna meorum,
Accipe: quæ pietas ponit tibi dona merenti
Effigiem noſtri conſervatura parentis,
Cujus ne taceat memorandum littera nomen:
Caſius hic idémque Titus Primúſque vocatur,
Qui largè Cereris meſſes fructúſque renatos
Dirigit in pretium, cui conſtat fama fidéſque.

In

In Baſilica Laterana, Romæ.

D. N. Conſtantino M. Pio Felici ac Triumphatori ſemper Aug. ob amplificatam toto orbe Rempubl. Factis conſiliiſque.

S. P. Q. R.

Ædem Concordiæ vetuſtate collapſam in meliorem faciem opere & cultu ſplendidiore
reſtituerunt.

Nova Inſcriptio.

Omnia ſi luſtres alienæ climata terræ,
Non eſt in toto ſanctior orbe locus.

Romæ in Templo B. V. M.
trans Tyberim.

Dum tenet emeritus miles, ſum magna Taberna;
Sed dum Virgo tenet me, major nuncupor, & ſum:
Tunc oleum fluo, ſignans magnificam pietatem
Chriſti naſcentis; nunc trado petentibus ipſam.

Ibidem.

Petro Card. Aldobrandino S. R. E. Cam. Clementis VIII. Pont. Max. fratris F. qui ſua erga MARIAM Genitricem pietate Baſilicæ hujus parietes vetuſtate collabentes
reſtituit,
tectum altius ſuſtulit,
Laqueari cœlato, aurato exornavit.
Capitulum, & Canonici
Optimo Patri B. M. F. C.
Anno Chriſti M. DC. XX.

Romæ in Templo S. Chryſogoni.

ÆDem hanc Divo Chryſogono ſacram à Gregorio II. An. Dom. DC. XXXI. reparatam, à Card. Cremenſi anno M. CXXXV. refectam, poſt quingentos annos vetuſtate collabentem
Scipio Cardin. Burgheſius
major pœnitentiarius
ſuum, & avunculi Pauli V.
nondum ad Pontificatum evecti,
Titulum inſtauravit, ornavítque
Anno Domini M. DC. XXIII.

Romæ in Templo S. Mariæ Ægipt.

HOc dudum fuerat ſanum per tempora priſca
Conſtructum Phœbo, mortiferóque Jovi:
Quod Stephanus veteri purgavit ſtercore Judex.

Romæ in Eccleſia S. Joannis ante Portam Latinam.

MArtyrij palmam tulit hic Athleta Joannes,
Principij Verbum cernere qui meruit.
Verberat hic fuſte Proconſul, forcipe tondet,
Quem fervens oleum lædere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruor atque capilli,
Quæ conſecravit inclyta Roma tibi.

Romæ in Templo B. V. M. apud Capuc.

FRater Antonius Barberinus S. R. E. Presb. Cardinalis S. Honuphrij, Urbani VIII. germanus frater, Templum immaculatæ Virginis Conceptæ, Capuccinis Fratribus Cœnobium à funda-

fundamentis erexit, religioſi in Deiparam obſequij, beneficæ in ſuum ordinem charitatis monumentum Anno Sal. 1624. Capuccini Fratres grati animi ergo Poſ.

Ibidem.

URbanus VIII. Pont. Opt. Max.
Suæ in B. Franciſcum pietatis
Et in eundem ordinem benevolentiæ
Monumentum
primum hujus Eccleſiæ lapidem jecit
Die IV. Octobr. Pontif. ſui ann. IV.
Noléntque Pontificiæ Charitatis
Magnificentiam
Capuccinæ paupertatis limitibus
Coërceri,
Aram maximam ornavit.

Romæ in æde Chriſti à Magis adorati.
D. O. M.

FR. Antonius Barberinus Urbani VIII. Pont. Max. Germanus Tit. S. Honuphrij Presb. Card. M. Pœnit. S. R.E. Bibliothec. Ædem hanc Chriſto Infanti à Magis adorato dicatam, Collegij ad propagandam fidem inſtituti uſui, à fundamentis erexit, inſtruxit, ornavit, Anno M. DC. XXXIV.

Romæ in Templo S. Franciſci de Paula.

OCtavius Pubalus
de Cancellarijs
Fighini Marchio
Templum hoc San-

Sanctis Andreæ Apoſtolo,
& Franciſco de Paula,
Suæ familiæ Patronis,
Exædificavit, ornavit,
addixit.
Anno Domini M. DC. XII.

Romæ in Templo D. Mariæ in
Vallicella.

CÆSII FRATRES.

PEtrus Donatus S. R. E. Presb. Card.
apſidem fundavit,
Ædes multas coëmit,
Sacerdotum habitationem ampliavit.
Angelus Epiſcopus Tudertinus
Sacellum extruxit, ac dotavit,
Anteriorem Templi partem
Fundavit, ornavit, perfecit.

Romæ in Templo S. Priſcæ.

PRima ubi ab Evandro ſacrata eſt Herculis ara,
Vrbis Romanæ prima ſuperſtitio.
Poſt ubi ſtructa ædes longa celebrata Dianæ
Structáque tot veterum templa pudenda Deûm.
Montis Aventini nunc ſacta eſt gloria maior
Vnius veri Relligione Dei,
Præcipuè ob Priſcæ quod cernis nobile templum,
Quod priſcum merito par ſibi nomen habet.
Nam Petrus id coluit, populos dum ſæpe doceret,
Dum faceret magno ſacraque ſæpe Deo.
Dum quos Faunorum fontes deceperat error,
Hic melius ſacrâ purificaret aquâ,

Quod

Quod demùm multis ſeſe volventibus annis
Corruit, haud ullâ ſubveniente manu.
Summus at Antiſtes Callixtus tertius ipſum
Extulit, omne eius reſtituitque decus.
Cui ſimul æternæ tribuit dona ampla ſalutis;
Ipſius ne quâ parte careret ope.

In Templo SS. Coſmæ & Damiani. Romæ.

Aula Dei claris radiat ſpatioſa metallis,
In quâ plus fidei lux ſpecioſa micat.
Martyribus medicis populo ſpes certa ſalutis
Venit, & ex ſacro crevit honore locus.
Obtulit hoc Domino Felix Antiſtite dignum
Munus, ut ætheriâ vivat in arce Poli.

Baron. an. 530.

Templi S. Sabinæ Martyris, Romæ in Aventino.

Culmen Apoſtolicum cum Cæleſtinus haberet
Primus & in tota fulgeret Epiſcopus urbe
Hac quæ miraris fundavit presbyter urbis
Illyrica de gente Petrus; vir nomine tanto
Dignus; & ab ortu Chriſti nutritus in aula.
Pauperibus locuples; ſibi pauper, qui bona vitæ
Præſentis fugiens meruit ſperare futura.

Baronius an. 432

Nova Inſcriptio.

Sixtus V. Pontifex Max.

Eccleſiam hanc intermedio pariete, ruinoſoque tectorio ſublatis, pavimento ſtrato,

gradibus erectis, picturis ad pietatem accommodatis, altarique unàcum ſacris Martyrum Alexandri Papæ, Eventij, Theoduli, Sabinæ, & Seraphiæ reliquijs ob ſtationarias, Pontificiáſque miſſas celebrandas tranlato, in hanc formam reſtituit, Ann. Pont. II.

Minoritarum Fratrum Monimentum Benefactori poſitum. Taurini.

Julius Cæſar Gerbaldus
Civis Taurinenſis, Centallo oriundus,
Regiæ Celſitudinis ordinarius,
Regiæque computorum Cameræ primarius
A ſecretis.
Secreta licet pietate
Nulla ſui Nominis inſcriptione
Præclarum hoc Templum
Sacræ Minoritarum familiæ donarit:
Grati tamen Fratres, ne ingrato ſilentio
ſurripuiſſe potius quàm accepiſſe
Memorabile munus videantur;
Loquentem hunc lapidem,
Gratiſſimorum teſtem animorum
Conſtituunt.
Anno. MDCLXIV.

Taurini in Templo S. I.

A *Fundamentis pia templa dicantur JESV,*
Quæ colit imperio tempore templa nepos.
Ergo quot Emmanuel pietati prorogat annos,
Tot pietas vitæ prorogat alma ſuæ.

Sacer-

Sacerdotum Congregatio,
Ad cultum Templi Auguſtiſſimi Corporis,
Taurini.

Auguſta Taurinorum
ut ſempiternam
Divini Miraculi Memoriam fundaret,
Templum erexit:
Ut templi Religionem altiùs erigeret,
Sacerdotum ſæcularium ſanctiſſ. Sacramenti
Congregationem fundavit.
Anno à Virgineo Partu M. DC. LV.
Ab Euchariſtico Miraculo CCII.

Broliorum Sacelli, Taurini.

DIVIS AUXILIARIBUS,
FRANCISCA MARIA BROLIA
VOVIT.

Romæ Templi S. Caij inſcriptio:

Urbanus VIII. Pont. Max.
Domum in Urbe Caij
Papæ & Mart.
In Eccleſiam olim conſecratam
Ac erectam, ſacráque ſtatione celebrem,
Vetuſtate collapſam,
A fundamentis excitavit,
Illatiſque Ejusdem Caij
Reliquijs titulum ac ſtationem reſtituit.
An. Sal. M DC XXXI. Pont. IX.

Romæ ad S. Laurentij.

Divis Damaſo Pontifici
Et Eutychio Martyri
Franciſcus Card. Barberinus
S. R. E. Vice-Canc.
Æneum hoc ſepulchrum condidit
Poſt extructam
A fundamentis in honorem
D. Laurentij
Et horum SS. marmoream
Templi abſidem,
Ut ipſi, de ejus ſalute ſolliciti ſint.
A. M. DC. XXXXV.

Templi S. Suſannæ, Romæ.

Beatæ Suſannæ Martyris Aula coanguſto
Et tetro exiſtens loco marcu-
erat: quam
Leo Papa Tertius à fun-
damentis erigens,
Et condens corpus S. Felicitatis
Martyris
Completè ædificans ornavit atque
Dedicavit.

In S. Sebaſtiani: Ibidem.

SAnctus Sebaſtianus miles Chriſti fortiſſimus ſagittis Diocletiani juſſu configitur, virgis cæditur, in cloacam dejicitur: Inde à Lucina Matrona Romana ejus in ſomnis monitu eximitur, & in Calliſti cœmeterio conditur; facti indicem

indicem plebs olim venerabunda ædiculam excitavit, cujus hic nuper Altare majus cum apſide ſtetit. Hanc Sixtus Quintus Pontifex Max. ea lege æquari ſolo permiſit, ut illius pars novæ ædis ambitu includeretur, ad reſtituendam loci religionem, reique memoriam Maphæus S. R. E. Presbyter Card. Barberinus Signaturæ Juſtitiæ Præfectus hoc voluit extare monumentum. Anno Sal. M. DC. XVI.

Templi SS. Bibianæ, &c. Romæ.

Ædem hanc
Ab Olympinâ Matronâ ſanctiſ-
ſimâ
In honorem
SS. Bibianæ, Demetriæ &
Dafroſæ
Primùm excitatam
A S. Simplicio Papa
Deinde reſtitutam
Ab Honorio III. confecra-
tam
Urbanus VIII. P. O. M.
Inſtauravit & ornavit
Anno Jubilei M. DC. XXV.
Pontif. II.

In S. Praxedis. Romæ.

In hac omnium Eccleſiarum
Urbis vetuſtiſſima,
Olim domo S. Pudentis Senatoris,

 Patris

Patris SS. Novati & Timothei
Et SS. Pudentianæ
Et Praxedis Virginum,
Fuit SS. Apoſtolorum Petri
Et Pauli hoſpitium primum ad
Martyrum & Chriſtianorum
Baptiſmum, & ad Miſſas
Sacrámque Synaxim,
Sub altari jacent tria millia
Corpora SS. Martyrum
Et copioſus SS. ſanguis, &c.

S. Damaſus de eadem Eccleſia:

EMicat aula pia è varijs decorata metallis
Praxedis Dominum ſuper æthra placantis honore,
Pontificis ſummi ſtudio Paſchalis alumni
Sedis Apoſtolicæ, paſſim qui corpora condens,
Plurima Sanctorum ſubter hæc mænia ponit,
Fretus, urbis limen mereatur adire polorum.

In S. Sylveſtri.

HOc opus auguſtum ſi cernis fortè Viator,
Siſte gradum, nam ſunt mira videnda tibi.
Aſpicies Papæ Sylveſtri dulce cubile,
Quo conſtat plures ipſum habitâſſe dies.
Inferiora petens, templum mirabere priſcum,
Sub Conſtantino cujus origo fuit.
Quod tunc Sylveſter Trajanas extulit intra
Thermas, Exquilijs, Equitiíque loco.
Munere multiplici exornans, ſacravit & illud,
Et bis concilium concelebravit ibi.

En ſacra quanta modis miris monumenta coruſcant,
Ergò avidus viſas & reverere pius.

Romæ in Templo S. Gregorij.

D. O. M.

URbani VIII. Pont. Opt. Max. ſempiternæ ac fauſtiſſimæ memoriæ. Quòd ſævientis per plurimas Italiæ partes contagij periculo Eccleſiam Divo ſacram Gregorio felici quondam pro hac urbe vitiati Cœli labe contactâ apud Deum, cœleſtisque militiæ Principem advocato S. Pauli uni ex ſeptem Eccleſijs ſubſtituerit, Monachi Camaldulenſes devoti argumentum animi poſuère.

Anno Domini M. DC. XXX.

Eccleſiæ SS. Quirici & Julittæ inſcriptio, Romæ.

ECcleſiam DD. Martyribus Quirico & Julittæ dicatam à Siſto IV. penè collabentem inſtauratam, denuò ruinam minantem, in elegantiorem hanc formam reſtituit Urbanus VIII. Pont. Max. ann. Sal. 1630. Pont. VII.

Templi S. Mariæ Montium. Romæ,

VRbani VIII. Pont. Max. beneficentiâ opem ferente, F. Antonius Barberinus tit. S. Onufrij Presb. Card. ejusdem Pontificis germanus M. Pœnitentiarius, Bibliothecarius S. R. E. & Catechumenorum protector, ut alumni CollegijNeophitorum in templo Beatæ Mariæ ad Montes à Greg. XIII. ipſius Collegij

 Fun-

Fundatore univerſæ Catechumenorum familiæ attributo ſacris miniſterijs operam navarent, eos ſimul incolentes huc tranſtulit, novâsque ædes tum illis, tum Catechumenis mulieribus, virisque ſeorſim, & Clericorum rei divinæ famulantium habitationi à fundamentis extruxit An. Salutis M. DC. XXXV.

Baſilicæ Vaticanæ veteris inſcriptio.

QVod duce te mundus ſurrexit in aſtra triumphans,
Hanc Conſtantinus Victor tibi condidit aulam.

Novæ Baſilicæ inſcriptiones.

JUlius II. Pont. Max. ædem D. Petro dicatam, vetuſtate collabentem, in digniorem ampliorémque formam ut erigat, fundamenta jecit, An. Chriſti M. D. VII. Veterem Conſtantinus Imp. ædificavit.

Alia.

PAULUS V. PONT. MAX.
Vaticanum templum
A Julio II. inchoatum,
Et uſque ad Gregorij
Et Clementis Sacella
Aſſiduo centum annorum
opificio perductum,
Tantæ molis acceſſione
Univerſum Conſtantinia-
næ Baſilicæ ambitum in-
cludens, confecit;

Con-

Confeſſionem B. Petri exornavit, frontem orientalem
Et porticum extruxit.

Alia.

URBANUS VIII. PONT. MAX.
Vaticanam Baſilicam
A Conſtantino Magno extructam,
A beato Sylveſtro dedicatam,
in ampliſſimi Templi formam
Religioſa multorum Pontificum
Magnificentia
redactam,
Solenni ritu conſecravit,
Sepulchrum Apoſtolicum
Ærea mole decoravit,
Odeum, aras, & Sacella,
Statuis ac multiplicibus operibus
ornavit.

Alia.

Baſilicam
Principis Apoſtolorum
In hanc molis amplitudinem
Multiplici Romanorum Pontificum
Ædificatione perductam
Innocentius X. Pont. Max.
Novo cælaturæ opere
ornatis Sacellis,
Interjectis in utraque templi Ala
marmoreis columnis,

Srato è vario lapide
Pavimento,
Magnificentiùs terminavit.

Auguſtæ Vindelicorum
CHRISTO DEO OMN. SÆCUL.
Sacram ædiculam,
quæ ante annos amplius M. CCCC.
prima in hac urbe
Chriſtiano cultui dicata creditur,
Quam an. Chr. M. LI. reſtitutam
Leo IX. Pont. Max.
DEO Opt. Max. & S. Gallo Abbati
ſacravit,
Vetuſtate iterum collabentem
& ad proph. uſus dudum redactam,
inſtaurandam C.
EUPHROSINA à KREYT, Collegij nobilium
Virginum ad D. Stephanum Abbatiſſa
Anno P. Chr. N. M. D. LXXXIX.

In Sacello Garappi. Neapoli.

SAcellum hoc, quod D. Ant. Garappus, immaturum pudiciſſimæ filiæ Iſabellæ obitum deflens, inchoârat, parique fato (heu mortalium fragilitatem!) non perfecerat, Joan. Feranus Corionius infelix gener, poſt mortem obſequentior, abſolvendum curavit, carósque cineres hac urna lacrymans condidit, ut quos vivos charitas conjunxerat, Mors dirimere non poſſet. Anno Salutis M. D. LIV.

Eboræ.

Eboræ.

DIvo Antonio Ægyptio, ſanctiſſimo Monachorum Archimandritæ ſacrum, Henricus Divi Emanuelis, Luſitaniæ Regis, pij, felicis, invicti filius, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, primus Eborenſis Archiepiſcopus priore diruto, novum hoc ſtructurâ, formâque auguſtiore religionis ergò erexit. Divo Antonio Archimandritæ ſanctiſſ. Sacrum.

Salisburgi ſupra portas Templi Cathedralis.

HÆC EST DOMUS DEI, IN QUA INVOCABITUR NOMEN EJUS.

Ad B. V. in Tirrenberg Provinciæ Salisburgenſis.

D. O. M.

REginæ Cœlorũ Deiparæ à Wolfgango Theodorico Archiepiſcopo & Principe Salisburgenſi ædes à fundamento extructas Marcus Sitticus Archiepiſcopus perfecit & ornavit. M. DC. XII.

Cracoviæ

In Sacello à Sigiſmundo I. Poloniæ Rege extructo.

NOn mirere hoſpes decus hoc ſublime Sacelli,
Saxáque Phidiaco ſtructa magiſterio.
Hoc ſtatuit Sigimundus opus, qui ſtruxit & arcem.
Clarior hic rectâ ſed ratione labor.
Illum ne credas, dum momentanea condis
Atria, perpetuam poſtpoſuiſſe domum.

Medio-

Mediolani in templo Dominicanorum.

Chriſtiani Orbis vota
Ut Catholicæ rei columen ac titulus
Philippus IV, Rex veſter
Penates prole humanum genus ſpe
fæcundet
Suſpicite cives
D. Dominicus Auguſtæ domui innexus
Numen exorabit
Ut cum Principe Auſtriaco
feſta pax exoriatur,

In Templo S. Agnetis Viâ Numentanâ extra Romam à Filia Imp. Conſtantini olim extructo:

COnſtantina Deum venerans, Chriſtoq; dicata,
Omnibus impenſis devotâ mente paratis,
Numine divino multum, Chriſtoque juvante,
Sacravit Templum victricis Virginis Hagnes.
Nomen enim Chriſti celebratur ſedibus iſtis,
Tartaream ſolus potuit qui vincere mortem;
Invectus cœlo ſolúsque inferre triumphum, &c.

Romæ in Capitolio.

S.P.Q.R. Majorum ſuorum præſtantiam uti animo, ſic re quantum licuit imitatus, defor- matum injuriâ temporum Capitolium reſtituit, Proſpero Buccapadutio, Thoma Cavalerio curatorib, Anno poſt V.C, ↄX ↄ, Xↄↄ, CCC XXX,

ibidem,

S. P. Q. R. Capitclium præcipuè Jovi olim commen-

mendatum, nunc Deo vero, cunctorum bonorum authori JESU Chriſto, cum ſalute communi ſupplex commendat, atque tuendum tradit; anno poſt Salutis initium 1568.

In ara Cœli, ibidem.

UNum erat imperiũ mundi, dominator & unus.
Falleris. At non tu Roma, ſed ipſe Deus.
Quem iuſſit Auguſto Cumana puella videndum,
Rector erat primus, ipſe ſecundus erat.
Hic locus eſt, ubi vidit, ubi rex credidit. Ara
Cœli facta domus regis, & Aula Dei.

Ibid. in Mariæ S. Angeli.

QVod fuit Idolûm, nunc Templum eſt Virginis, auctor
Eſt Pius ipſe pater: Dæmones aufugite.

Ibid. in Martis æde.

MArtyrij Virgo geſtans Martina coronam,
Ejecto hinc Martis nomine templa tenet.

Neapoli in Monaſterio Montis Oliveti.

Antonius de Alexandro Juriſconſultus, ad ſuas, & ſuorum reliquias, quouſque omnes reſurgamus, reponendas, Sacellum hoc conſtruxit & redemtori noſtro dicavit. M. CCCC. LXXXXI.

Quo loco, quóve tempore fiat hæc migratio, quid intereſt? Undique Chriſti fidelibus ad cœleſtia regna patet aditus. Sequentur autem me haud dubiè, quicunque non præceſſerint.

Ibidem

Ibidem.

Tibi Cœli Regina

Galeacius Caracciolus, cui bona multa contuliſti, à quo item mala abruncaſti plurima, ſacellum marmoreum, cum ſignis & omni cultu gratus libénſque dedico, & tanquam decumam ſolvo. Anno poſt editam à te ſalutem M. D. XVI. VIII. Id. Jan.

Ad introitum ejuſdem Sacelli.

Omnia Domine tua ſunt, & quæ de manu accepimus tua, reddimus tibi.

Nicolaus Antonius Vici Marchio Sacellum hoc à Galeacio patre inchoatum, omnibus ſuis partibus expletum, lætus obtulit, dedicavitque à partu Virginis anno M. D. LXVIII. menſ. primo die VI.

Romæ in antiquo Minervæ delubro, quod Pompeius Magnus ex manubiis condidit:

P. Urb. Ro. S. P. Q. R. Cn. Pompeius magnus Imp. bello. XXX. an. confecto, fuſis fugatis occiſis in deditionem acceptis hominum centies vicies ſemel. LXXXIII. depreſſis aut captis navibus D. CCCXLVI. Oppidis caſtellis M. D. XXXVIII in fidem acceptis, terris à Meoti ad rubrum mare ſubactis, cùm oram maritimam prædonibus liberaſſet, & imperium maris Po. Ro. reſtituiſſet: Et Aſia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, Inſula Creta &

& ſuper hæc de regibus Mitridate atque Tigrane triumphavit.

Florentiæ ad S. Spiritum.

HOc quod vides Sacellum varijs nobilibus marmoribus ab Ægypto uſque Angliáque adductis, conſtructum, Baptiſta Cavalcantes, Thomæ F. religionis ergò, maxumis cum ſumptibus ædificandum curavit. Anno Domini 1562.

Senis ad S. Mariæ.

CASTISSIMÆ VIRGINIS TEMPLUM CASTA MENTE INGREDERE.

Boſci ad S. Crucis.

PIus V. Giſlerius Boſchenſis, ex ordine Prædicatorum Pont. Opt. Max. à fundamentis erigi curavit An. 1571.

Bruxellis ad Carmelitas,

Vides Sacellum hoc, Lector ? id turbaverat
Fœdaverátque nuper impius furor,
Turbantium fœdantiúmque hîc omnia.
Erant ſepulti Nobiles aliquot viri
Ex Angiana ſtirpe, quos beaverat
Et dignitate & opibus in ſimul Deus,
Atque hi viciſſim quicquid hoc erat, Deo
Conſtruxerant, ornaverántque: at barbari
Nec hos reveriti jam quietos, nec Deum,
Evellerant diſiecerántque hæc omnia.
Sed non tulit, qui ſtirpis ejuſdem cluet
Eques Jacobus Angianus, is Deo

Cul-

Huic ſoli eſt operi locus dicatus.
Illud te monitum prius volebam.

Templi D. Marci Venerijs Elogium.

Nihil hic mortale ſpectabis;
Ubi
D. MARCUS
Æneâ, quam in fronte aſpicis, quadrigâ
In cœlum aurigat.
Ipſe huic triumphali Venetæ pietatis carpento;
Ne per inſuetas laſſeſcant vias,
Æneos ſubmiſit equos;
Qui tibi hinnire videntur;
Inhiare ſcito ad gloriam,
Ad cujus metam ſuſpenſos ſemper habent pedes;
Ex ſolis curru mutuatos crederem,
Ni Bizantinâ exciſione advectos ſcirem;
Ut hic fatorum exſpectent tempora;
Donec Bizantio
Venetias Orientis aſportent imperium.
Aheneæ Delubri fores duraturum Templum,
Supra Capitolium clamant.
Hæ claudunt olympum;
&
Cœlitum exuuias celant.
Aſtra ibi mirare,
Quæ in igneis calculis exardeſcunt.
Ex æthere diceres illa Venetum detraxiſſe.
Teſſellatum nitenti Saxo pavimentum, ac parietes
Induſtri jurares penicillo coloratos.
Diſcolor lapis in minutiſſima fragmẽta conciſus,

Et pertinacis labore magiſtri diſcriminatus
Diſcrimen parit inter oculos, mentémque,
Saxáne an colores vivant;
Novo picturandi genere, Apelle ſuperato.
Quo nomine tot divites Divûm effigies appella-
Niſi Democriti ſectator haberer, (bis?
Dicerem, quot ibi efficta imagines,
Tot mundos picturarum
Lapideis creatos atomis.
Leo Matina B.

Venetijs in Deiparæ Plorantis Templo.

D. O. M.

Comploranti Deiparæ
Publico voto Templum,
Sacriſque Virginibus excitatæ ædes,
Ut pijs Fidelium Manibus
Pro Reipublicæ incolumitate litetur,
Anno 1658.
Joanne Piſauro Venetiarum Principe.

Neapoli pro æde Virginis Miſericordiæ, Inſcriptio.

Miſericordiæ parens
Miſericordiæ ſe Proteum præſtitit.
Modò Veſtalium ſtolata cultu,
Modò Sanctorum cætibus inſerta;
Divi Franciſci Aſſeclis
Et Divo Cajetano, ut primum Neapolim appulit,
Soſpitatricem ſe præbuit.
Poſtremò Dei Myſtas peregrinos,
Suo

ſuo Hoſpitali excipit ſinu.
Delubrum, ædéſque, ætatis dente corroſas,
Gubernátores, priſtinæ juventæ reddidêre.
Anno 1674.
Leo Matina.

Romæ ad hortos Palatinos.

MAriæ Virg. cognomento *Libera nos à pœnis Inferni* D. cui Michael Lantes Rom. annis ab hinc XXXIV. Sacellum hic in ædicula loco humili, peranguſto, miraculo tamen S. Silveſtri Papæ in Draconem, & S. Franciſcæ Rom. Parietinis illuſtri excitarat; eidem hanc ædem in editiore ædificatam, ampliorem, ornatioremq; Marcellus Frater S. R. E. Cardinalis à fundamentis extruxit. Anno Sal. M. DC. XVII.

In D. Agnetis extra Portam Piam.

D. O. M.

ET memoriæ Leonis XI. Summi Pont. Qui pro eximia ſua in B. Agnetem pietate, Templum hoc reſtaurare, & illuſtrare aggreſſus, præcipuumSacelli hujus cultum elegantiámque moliebatur, niſi mors præpropera cœptis interveniſſet. Petrus Jacobus Cima ejuſdem Pontificis intimi cubiculi Præfectus idem Sacellum ornandum curavit voti ſui, & perpetuæ erga optimum & omnibus optatiſſimum Principem obſervantiæ monumentum. Anno Sal. M. DC. IX.

Sacelli S. Joſeph Taurini,
Civitas Taurinenſis

Eundem, dum moreretur, experta Patronum,
Quem Chriſtus, dum viveret, Patrem,
Sopita peſte, voti rea,
Sacellum hoc poſuit.

Nemauſi.

PLotina. Traiani. uxor. ſumma. honeſtate. &. integritate. fulgens. ſterilitatis. defectu. ſine. prole. fecit. conjugem. qui. ejus. opera. Adrianum. adoptatum. in imperio. Succeſſorem habuit. a. quo. in. beneficij. memoriam Nemauſi. æde. ſacra. ſublimique ſtructura. ac. Hymnorum. cantu. decorata. poſt. mortem. decorata. eſt.

Antuerpiæ in Templo PP. Societatis.

ChrIsto Deo VIrgInI DeIparæ, B. IgnatIo LoIoLÆ soCIetatIs aVtorI, ſenatVs poPVLVſqVe antVerpIensIs pVbLICo et prIVato ære ponere VoLVIt.

Taraſcone in Templo D. Marthæ.

SUſpice multipedem ſquammoſum deinde draconem
Auritum cernas dentigerúmq; caput.
Terror erat populis horrendum nomine monſtrum,
Caudatúmque animal glutivorúmque pecus.
Martha tamen ſævam rabiem ſerpentis & iras
Perdomuit, loro continuítque brevi.
Civis in hoc templo reſidet venerabile corpus,
Sanctáque ſunt Chriſti membra ſepulta manu.
Oſsáque ſunt tandem rutilanti incluſa metallo,
Nobile regali munere fulget opus.

Sacello, in quo cubare dicitur, hoc adſcriptum eſt diſtichon:

Quæ Chriſtum hoſpitio excepiſti, Martha, precare,
Hoſpes ſit nobis hoſpes ut ille tuus.

Alcmariæ.

HIc ſana quondam Dijs patrijs ſacra
Struxit vetuſtas, ſollicito pecus
Cædente votivum colono
Ut veteres meminêre faſti.
At delibuta ſanguine Victima
Inſontis agni protinus impias
Delevit aras. cum prophano
Inferias celebrante myſta.
Ædemque Chriſti cultibus unici
Parta ſalutis arbitri idoneam
Devotio Laurentianis
Poſtera martyrijs dicavit.
Quæ Friſiorum (nam nihil arduum
Sanctumve Marti) ſæpè voracibus
ſubiecta flammis heu nephas heu
in cineres abiit ſolutos.
Sed reſtitutæ contiguum modo
In Sancti honorem limen Apoſtoli
Junctum Mathiæ eſt, qua procellas
Imbrifero vomit Auſter ore.
Hinc ſemper, alta ut præcipiti ſolent
Librare caſu, nobilis impetu
Divulſa templo antiquiori
Preſſit humum crepitante turris.
Demumque edaci temporis orbita
Rotante verſas súſque ſecus vias
Hoc pro ruinoſis ſacellis

E ſolito poſitum lacunar.
Saxo columnis perſpicuum arduis
Cæloque picto ſerviat ut ſacræ
Rerum creatoris tyaræ:
Magnifici arbitrio ſenatus.

Fontaine-Bleau in Sacello aulico.

Imperio, natiſque potens, & coniuge felix
Altâ pace, ſacram decorat Rex inclytus ædem,
Æternum ut pietas auguſtâ ſplendeat aulâ.

Templi S. Mariæ extra Lugdunum:

SUſcipe porta patens, portæ cœleſtis imago,
Sanguine quos emit ſibi Virginis alma propago.

Ibidem in Templo S. Lupi.

D. O. M.

SS. Martino & Lupo ſacrum, immani hæreticorum impietate ferro & igne vaſtatum & funditus everſum Anno M. D. LXII. Deo auſpice & Ludovico XIII. Gall. & Nau. Rege, R. D. Camillo de Neufuille, Inſulæ Barbaræ Abbatis, Decani impenſis, & cura vigilantiſſimi Parentis D. Caroli de Neufuille, D.D. Halincourt, marchionis de &c. Lugdunenſis Provinciæ Proregis, in integrum reſtitutum, Anno M. DC.XX.

Ibidem in villâ La Duchere, in Sacello.

D. O. M.

FRancisc Clapiſon in præſidiali præfectura Lugdunenſi cognitor regius, ac publici juris vindex, & Margaretha Dulin, dulciſſima conjunx, ſubur-

urbanæ hujus villæ ambo domini, par conjugũ fidiſſimum, pientiſſimúmque, hoc ſacellum ſociali pietate auctum, ornatum, conſecratum, pro ſua in Divam loci tutelarem Margaretham religione eidem nuncuparunt dedicaruntque: tum juſſerunt quotannis anniverſario Divæ Natali ſacris faſtis adſcripto heic rem ſacram ritè fieri, ac diem feſtum feriatumq; à Ducherian à familiâ universâ agitari: quæ ipſi omnia concordiſſimè viviſanxerunt, ne poſteros rogarent, ex voto ſuſcepto. Anno M. DC. VI.

Avenione in portâ Templi D. Virginis.

LUdovico Juſto Gall. & Nau. regi Chriſtianiſſimo, avitæ virtutis æmulo, glorioſ. Caroli Martelli in Saracen. Aven. pellendis fortitudinem & divi Caroli Magni laureas jam adepto, in Albicenſibus, tota Septimania Galliáque fræn. S. Ludovici pietatem & magnitudinem aſſecuto, ob impiatum rebell. hæreticorum furorem triumphantibus armis expiatum, ob Eccleſiam Romanã pietate defenſam, ob Avenionem benignitate regia conſervatam, ſui clientes Præpoſitus & Canonici hujus Avenionenſis Eccleſiæ per D. Martham primùm erectæ, mox D. Ruffi Chriſti diſcipuli epiſcopal. ſacris inauguratæ, & per Carol. Magn. Gothicâ impietat. reſtauratæ, hunc ingentem & perennabilis gloriæ fornicem DD. CC. M. DC. XXII.

Tholoſæ in ſacello quodam Templi Auguſtiniani hæc diſticha leguntur:

LIgna repone focis, flammis ſuperaddito flammas
Frigida flamma tua eſt, quæ meliore calet.
Eſt ſacer ille locus : videas, meditare parumper,
Quid facias : Chriſtus cordis opaca videt.

Claramontij In Templo D. Virginis du Port,

HOc templum ſanctus primo fundavit Avitus
Inclytus antiſtes, nobilis & genere.
Quod dicavit ovans Chriſto ſanctæque Mariæ,
Cenſibus & propriâ nobilitavit ope.
Hoc Normannorum flammis gens uſſit acerba,
Bacchans, & ſtrages, heu! miſeras faciens.
Sed Sigo hanc Præſul priſco decoravit honore,
Vt tibi celſitonans afforet aula micans.

Romæ in Porticu Baſilicæ S. Pauli.

In ſuperliminari primæ Porte ad lævam.

DE DONIS DOMINI ET BEATI PAULI APOSTOLI. DOMETIUS DIAC. ET ARCARIUS SCAE. SED. APOSTOL. AD QUE PP. UNACUM ANNA. DIAC. EJUS GERMANA HOC VOTUM BEATO PAULO OBTULERUNT.

In ſecunda Porta ad lævam,

HÆC EST DOMUS DEI ET PORTA COELI ET VOCATUR AULA DEI. INGREDERE BENEDICTE DEI.

in Porta media,

EGO SUM VITIS VERA ET HI SUNT FRATRES MEI.

Devotos nos coram te protege XPe,

In ſolio reſidens cuncta creata regens.
Hic primum fratres tremebundi flectite colla,
Has adiens valuas ad cœlum tendito palmas.
Hæc domus eſt fidei mentis ubi ſumma poteſtas
Liberat & ſanctorum Apoſtolorum tuetur.

In Porta ad dexteram, quæ ſancta nuncupatur.

HÆc domus eſt Domini, & Sacri janua Regni
Huc properate populi, Hæc domus eſt Domini.

In Porta Ænea ad dexteram.

PAule beate preces Domino ne fundere ceſſes,
Conſule Malfigeno pro Pantaleone rogando,
Ductus amore tui qui portas has tibi ſtruxit,
Ergo ſibi per te reſeretur janua vitæ,
Supplex ergo petit Domino qui ſemper adeſtis
Huic precibus veſtris Deus annuat eſſe quod eſtis.
Pantaleon ſtratus veniam mihi poſco reatus.

In Porta Ænea ad lævam.

TV quoque qui ſacri ſuccedis limina Templi,
Has per quas intras ſtudioſus inſpice portas,
Et ſic ingreſſus domino fer cum prece fletus,
Vt Deus huic requiem concedat habere perennem,
Impetret hoc illi ſimul interceſſio Pauli,
Quem quia dilexit decoravit munere tali.

In Porta Ænea ad dexteram

ANno milleſimo ſeptuageſimo ab Incarnatione Domini, Temporibus Alexandri Sanctiſſimi PP. quarti & Domini Ildeprandi venerabilis Monachi & Archidiaconi, conſtructæ ſunt portæ iſtæ in regiam urbem conp. adjuvan-

juvante Domino Pantaleone Conſuli qui ille fieri juſſit.

Ad dexteram Portæ mediæ.

Vivere quem decuit quid prodeſt marmore ſpectet
Vmbra ſub cujus. Abbatis permanet hujus
Corpus Anaſtaſij Sancti nunc denique Pauli.
Hic ſpes multorum culmen decus & Monachorum
Sponſam ditavit. quæ ſplendet fonte manavit
Pauperis hem cultor egenum maximus Vltor
Nunc retinet curſum pereuntis carnis aduſtus
Limina Sanctorum repetentes Apoſtolorum
Oro precem detis. Tumulum quicunque tenetis
Vt Rex Cœlorum perducat ad alta piorum.

Ibidem in ipſa Eccleſia.

Exultate pij lachrymis in gaudia verſis,
Et Protectori reddite vota Deo.
Cujus ſic tenuit reſolutum dextera tectum,
In vacuum ut caderet tanta ruina ſolum:
Solus & invidiæ Princeps tormenta ſubiret,
Qui nullum ex ampla ſtrage tulit ſpolium.
Nam potiora nitent reparati culmina templi,
Et ſumpſit vires firmior aula novas.
Dum Chriſti antiſtes cunctis Leo partibus ædes
Conſulit & celeri tecta reformat ope.
Doctorem ut mundi Paulum plebs ſancta beatum
Intrepidè ſolitis excolat officiis.
Laus iſta Felix reſpicit te presbyter,
Nec te Levites Adeodate præterit
Quorum fidelis atque pervigil labor
Decus omne tectis ut rediret inſtitit,

Beli-

Beliſarius, pulſo Silverio Papâ, patrati facinoris pœnitentiam agens, Romæ Eccleſiam condidit, cum hac (quæ adhuc extat in pariete Eccleſiæ Cruciferorum inter Pincium montem & Quirinalem) Inſcriptione:

HAnc vir patricius Viliſarius Vrbis amicus
Ob culpæ veniam condidit Eccleſiam.
Hanc idcircò pedem ſacram qui ponis in ædem
Vt miſeretur eum ſæpè precare Deum.
Janua hæc eſt templi domino defenſa potenti.

Templi S. Martini Turonis; quod perpetuus Epiſcopus condidit.

QVæ Salomoniaco potis eſt confligere templo,
Septima quæ mundo fabrica mira fuit.
Nam gemmis, auro, argento, ſi ſplenduit illud;
Iſtud tranſgreditur cuncta metalla fide.
Livor abi mordax, abſolvantúrque priores;
Nil novet aut addat garrula poſteritas.
Dúmque venit Chriſtus, populos qui ſuſcitat omnes,
Perpetuò durent culmina Perpetui. Sidonius.

Sarisburij in Anglia ſummum Templum.

MIra canam, ſoles quot continet annus, in una
Tam numeroſa (ferunt) æde feneſtra micat.
Marmoreáſque capit fuſas tot ab arte columnas,
Comprenſas horas quot vagus annus habet.
Tótque patent portæ, quot menſibus annus abundat,
Res mira, at verâ res celebrata fide.
Daniel Rogerſius.

In

Auguſtæ ad Prædicatores.

LEctor aveto. Frater Joan. Faber, ſacræ Theologiæ artiúmque Doctor, ordinis Prædicator. Congregat. Germaniæ Vicarius generalis, Prior Auguſtenſis: Ædem hanc ſacram, ruinam ob vetuſtatem minantem, partim Apoſtolicæ Sedis beneficio; partim verò Civium Auguſtenſium eleemoſynis, Leone X. Pontif. Max. atque Maximil. P. F. glorioſiſſ. Cæſare rempub. Chriſtianam gubernant. Fabr. procuravit. Hieronymus im Hof. & Melch. Stunz, Auguſt. Max. laboribus, & incredibili cura: Deo Opt. Max. Mar. Virgini, Mar. Magdal. Joanni Evangel. atque Divo Dominico, Ordinis Prædicatorij parenti, intra Triennium, à fundament. F. C. anno Chriſti M. D. X V. Sept. X. Hoc volui ut ſcires.

In Sacello D. Juliani Alcantaræ.
Imp. Nervæ Trajano Cæſari Auguſto Germanico ſacrum.

TEmplum in rupe Tagi Superis & Cæſare plenum,
Ars ubi materiâ vincitur ipſa ſuâ.
Quis quali dederit voto fortaſsè requiret
Cura viatorum, quos nova fama juvat.
Ingentem vaſtâ Pontem quod mole peregit
Sacra litaturo fecit honore Lacer.

AREO-

AREOLA III.

INCRIPTIONES ALTARIUM.

Romæ in Eccleſiâ S. Mariæ ſupra Minervam.

Metellus Varus, & P. Paul. Caſtellanus Romani, Martiæ Portiæ teſtamento, hoc Altare erexerunt, cum tertiâ parte impenſarum, & dotis, quæ Metellus de ſuo ſupplens Deo Opt. Max. Dicavit.

Majoris Aræ Minimorum Taurini.

SANCTO FRANCISCO DE PAULA, CHRISTIANA A FRANCIA. QUOD PRO SE, REGIAQUE PROLE SÆPE INVOCATUS SEMPER AFFUIT, ÆTERNUM SACRAT.

Aræ Votivæ Foſſani.

DIVIS TERGEMINIS, DEI GENITRICI, ROCHO, BRIGITTÆ, QUOD PESTE, FAME, BELLO

SUB-

SVBALPINOS OMNES DEVASTANTE,
UNAM HANC URBEM
TERGEMINIS CLADIBUS EXEMERINT,
GRATI CIVES FOSSANENSES VOTUM
SOLVUNT.
ANNO M. DC. XXXII.

Aræ Sancti Pauli Taurini.
SOCIETAS SANCTI PAULI,
IN NUMERUM PIORUM OPERUM
HUNC ETIAM PATRONI CULTUM
REPONIT.

Majoris Aræ Sancti Thomæ
Taurini.
DIVIS LOCI PRÆSIDIBUS
THOMÆ APOSTOLO,& CAROLO
JUGI(1) LITATIONE(2) PROPITIANDIS;
AUGUSTUS MANFREDUS SCALIA
COMES VERRUCÆ, MARCHIO CA-
LUSIJ,
D. D. D.
ANNO M. DC. XXIX.

(1) *Litatio, à Græco Liti, hoc eſt rogatio, preces, apud Feſtum Grammaticum. Unde Litaniæ dicuntur rogationes Sanctorum.* (2) *Propitius, Pius, favens! Teſte Nonnio. Hinc propitiare aliquem, Plinio, Plauto, Suetonio, idem eſt quod faventem reddere.*

Emmanuel Theſaurus.

Romæ

Romæ in Eccleſiâ S. Sebaſtiani.

✠ Anno Incarnationis Dominicæ
MCCXVIII.
Dedicatum eſt hoc altare
A Papa Honorio Tertio,
Aſſiſtentibus ſibi quam plurimis
Sanctæ Sedis Apoſtolicæ præ-
latis,
in honorem
S. Sebaſtiani Martyris:
In quo reconditæ ſunt
Infra ſcriptæ reliquiæ.
Primo corpus S. Sebaſtiani Mar-
tyris,
Sociorumque ejus,
Reliquiæ Apoſtolorum
Petri & Pauli,
Jacobi fratris Domini:
Philippi & Mathiæ Apoſto-
lorum:
Sanctorum Fabiani,
Stephani, Marci
Et Damaſi Pontificum,
Valentini & Demetrij Mar-
tyrum,
Lucinæ & Barbaræ Virginum.

In S. Praxedis. Romæ,
In hoc Altari S. Petrus
Pro vivis & defunctis ad
Augendam fidelium multitudinem

corpus & ſanguinem
Domini offerebat.

Romæ In S. Mariæ de pace, ante aram maximam.

PErpetuæ Virgini Genitrici Dei Mariæ, ſalutis Pontificiæ reſtitutæ Auctori; Innocentius VIII. Pont. Max ex devotione pos.

Aræ dedicatio, Neapoli in S. Maria Majore.

TIbi Deus Opt. Max. aram hanc dedicat Joannes Jovianus; nec tecum paciſcitur, ut ſibi liberis, poſterisque ſuis benefaxis: cùm ipſe volens libénſque gratuitò benefacias cunctis: ſedquia tibi ab omnibus debeantur omnia.

Salisburgi in Templo Cathedrali, inſcriptio Summi altaris, in quo Reſurrectio Chriſti.

NOTAS MIHI FECISTI VIAS VITÆ: Pſalm. 15.

In altari B. Mariæ Virginis ad Nives.

IN ME GRATIA OMNIS VIÆ, ET VERITATIS. Eccl. 24.

In altari Sancti Franciſci; in quo Venerabile Sacramentum.

ECCE TABERNACULUM DEI CUM HOMINIBUS, Apocal. 21.

MO-

MONACHII.
In Templo B. Virginis Aræ inſcriptio.
D. O. M.
Magnæ DEI Matri Auguſtæ
æternæque Virgini
OPT. MAX.
Bavariæ PATRONÆ
Singulari Principum TUTELÆ;
AUXILIATRICI, VICTRICI;
MAXIMILIANUS
Bojorum Dux,
E victa Bohemia redux, memor
Gratúſque poſuit.
Anno poſt C. N. CIↃ. IↃ C. XX.

Ad-Montes Styriæ, in Sacello
S. Barbaræ.
TIBI DIVA BARBARA
ARA HÆC IN ARRHAM STAT, UT EGO
MORIENS
TE PATROCINANTE SECURE CADAM;
URBANUS D. G. ABBAS ADMONTENSIS.
ANNO M. DC. XLIX.

Antiquæ Altarium inſcriptiones.
In palatio Cardinalis Cæſij in ea Vaticani parte, quam Burgum vocant.
SILVANO ET
HERCULI SAN-
CTISSIMIS DIIS

SACRUM
ARULAM ASO
L. D. SUA IMPENDIA
CAJUS DOMITIUS
MARCUS
DONUM FECIT.
⸝ D. ⸝ D.

In Carpenſi Vinea.

ARam Jovis Fulgeratoris ex præcepto Deorum Montenſium Val. Creſcentio pater Pater Deorum omnium & Aur. Exuperantius Sacerdos Silvani confratribus & ſororibus dedicaverunt.

Alia.
I. O. M. D.
Pro Salute Augg. NN.
L. Septimij Severi Pij
Pertinacis & M.
Aurelij Antonini Pij
Felicis Aug. &
Juliae Aug. & Sp. Q. R.
Semnus Augg. NN. Lib. optio
Tabellariorum ſtationis
Marmoream Aram poſuit.

Romæ apud Marium Delfinum.
Sanctiſſimo Herculi
Invicto
Corpor. Cuſtodiarior.

L. Cur-

L. Curtius. S, Abaſcantus cum
Curtio gaudente Fil.
imm. A. III.
Crater Amarcyro Cor in Thara
cum baſi ſua & Hypobaſi
Marmorea
Sua pecunia donum
dederunt.
Dedicat VIII. Kal. Jun.
Ser. Scipione orfito Q. non priſco coſſ.

Formula Dedicationis Aræ antiqua, viſitur adhuc Patavij juxta pontem Divi Benedicti.

L. Ælio Cæſare Imp. P. C. Ælio P. E. Balbino. Vibulſio. Pio. Coſſ. VII. Idus Octobres. Cn. Domit. Valens II. Vir I. D. Præeunte C. Julio Severo. Pontif. legem dixit in ea verba, quæ infra dicta ſunt. Juppiter Opt. Max. Quandoque tibi hodie aram dabo dedicabóque: ollis legibus; olliſque regionibus dabo dedicabóque, quas hic hodie palàm dixero, ut infimum hujus Aræ eſt, ſi quis hìc hoſtia ſacrum faxit, quod magmentum nec protollat, idcircò tamen probè factum eſto. Ce. Ra. leges huic Aræ eædem ſunto, quæ Aræ Dianæ ſunt in Aventino monte dictæ, hiſce legibus, hiſce regionibus, ſicuti dixi, hanc tibi aram Juppiter Opt. Max. dico dedicóque, uti ſis volens propitius mihi, collegiſque meis Decurionibus, Colonis, incolis, Coloniæ Martiæ Juliæ Salonæ, conjugibus, liberiſque noſtris.

AREOLA IV.

RELIQUIARUM QUARUNDAM INSCRIPTIONES, ROMÆ IN VATICANO.

SAlvatoris imaginem Veronicæ Sudario
exceptam ut loci majeſtas decenter
cuſtodiret,
Urbanus VIII. Pont. Max. Conditorium
exſtruxit & ornavit.
Anno Jubilei M. DC. XXV.

Alia.

Partem crucis, quam Helena Imperatrix
è Calvario in urbem avexit,
Urbanus VIII. Pont. Max. è Seſſoriana
Baſilica deſumptam, additis Ara & ſtatua
Hic in Vaticano Conditorio collocavit.

Alia.

Longini lanceam, quam Innocentius VIII.
Pont. Max.
A Bajazeto Turcarum Tyranno
accepit,
Urbanus VIII. ſtatua adpoſita & Sacello
Subſtructo in exornatum conditorium
tranſtulit.

Alia.

S. Andreæ caput, quod Pius II.
Ex Achaja in Vaticanum aſportandum
curavit,
Urbanus VIII. novis hic ornamentis
decoratum, ſacríſque ſtatuæ ac Sa-
celli honoribus coli voluit.

Salisburgi in Monte Monialium.
D. O. M.
Omnium Gratiarum fontis inexhauſti,
Verbi Divini in Virgine incarnati,
Reginæ Virginum Mariæ,
&
S. Erentrudis Patronæ optimæ ad honorem
majorémque cultum,
Hanc argenteam Hierothecam fieri curavit,
& ſacra oſſa gemmis, unionibúsque incluſit,
ut illuſtriùs jacerent,
I. A.

AREOLA V.
CÆMETERIORUM INSCRIPTIONES.

Cæmeteriorum Romæ.

Siſte gradum Tu quisquis es
O Viator!
Sacra hæc urbis, imò Orbis Cæmiteria ſunt
Quæ inſpicis. G 3 Ho-

Horum nomina olim Mortuorum inter oſſa
Tenebris conſepulta,
Rediviva in lucem nunc ſub æternitatis
Omine prodeunt.
Perſcrutare, venerare;
Hæc videntibus ut vides, inter latebras
Mortuorum monumenta tegunt,
Invidentibus monimenta detegunt Immor-
talitatis.
Tot tibi Trophæa, quot oſſa.
Quot Martyres, tot Triumphi.
Imò tot palmæ tot coronæ, tot tituli,
Quot tumuli.
Lege haud luge: in ſanguine, in vulneribus
Funera, invictorúmque militum Victorias.
Antra quæ ſubis, muta quæ cernis marmora,
Vel dum ſilent, palàm Romæ Glo-
riam loquuntur.
Audi quid Echo reſonet
Subterraneæ Romæ.
Hoſpes: ſepulta hic Roma eſt, inter tumulos
Jacet, ſed vel mortua viget,
Sed vel tumulata ſuos inter triumphos vivit.
Urbs orbem tunc maximè vicit, cùm ſanguine
Victa, cùm ferro vincta,
Cùm lumine orbata eſt,
E tenebris clarior, ſecurior è latebris
Emerſit.
Marmora, imò aurea (ut cernis) facta nunc;
Quæ quondam Lutea, lateritia,
Obſu-

Obſcura ſcilicet urbis Cæmeteria totius
Patens Orbis theatrum,
Subterraneæ crebra inter rudera cavernæ,
Tarpeia rupe excelſiores
Conſpicuæ, quam tenes, quam teris, Romæ
Fundamenta ſunt.
Pretioſa Martyrum pignora, terræ dum celant,
Martyriorum Titulos Cœlo oſtentant.
Antra quæ ſubſtant, Romanis altiora mæ-
nibus, Capitolio illuſtriora,
Orthodoxæ fidei propugnacula, divinorum
Promptuaria Sacramentorum.
Pro Chriſto militantium caſtra, palæſtræ.
Horrent hic adeuntibus ſaxa; pallent cineres,
Rigent ſepulchra,
Ubi fides tripudiat, purpura cruore rubet,
Charitas rutilat, fervet.
Ingredere Hoſpes, quid cunctaris?
Ad ſubterraneum Romæ Cœlum tot ſidera,
Quot cadavera, quibus præfulget,
invenies.
Quid loci incultam facibus rimando faciem
ſtupes?
Nobilium cultorum, Incolarum corpora,
Exuviæ hic jacent, quorum animi
Virtute exculti, Cœlum jam tenent,
Orbe, Cœlo ſublimiores.
Si legis ex titulis, ex Monimentis legendo
Diſces,
Quanto cruore, quanta conſtantia Antiquis
Pro fide temporibus dimicatum,

 Quibus

Quibus nil antiquius fide, nil charitate recentius;
Iſthic inter mortuos Chriſtiani olim degebant,
Vivebant, ne inter vivos degendo, vivendo
Heu! Chriſto mori compellerentur.
Hinc ab altari vitam quotidie hauriebant,
Mox pro fide vitam cum ſanguine
Profuſuri,
Auguſta anguſta inter hæc locorum ſpatia
ſpatiando,
Charitas, quæ cor dilatat, anguſtari, latere, premi haud potuit,
Ex antris vegetior in aream, in arenam proſiliens,
Subi amice Hoſpes,
Ne dedignere cavernas, dum luce orbatas
Vides orbi tamen claras;
Tenebras ſole lucidiores hic ſolus videas.
Devoto igitur pede, corde, oculis, oſculis petito.
Fodinæ protinus inquies, hæ ſunt, quas
Cerno, haud cavernæ ferro (ut mos eſt.) perſcrutandæ.
Eſto: attamen ſi terræ inter viſcera aurum
Effodiendo requiris,
Aurea prorſus ſubterraneæ Romæ viſcera
Comperies.
Una enim hæc pro luto aurum, gemmas
Pro lapidibus, effodienti, perſcrutanti offert,

Aureos quippe homines, ferro inhumaniter
Hominum rimante viſcera,
Suo humaniter inter viſcera excepit, abſcon-
dit, tutata eſt,
At aureos quos accepit; ferreos adamantinos
Ex antris ad certamen provexit,
Vinci ſe rata, cùm non haberet quos vin-
ceret,
In ſuis jugiter cædi, cedere vix unquam ne-
ſcia, conſuevit.
Audis, vides, vel in obſcuro, ſplendidiores
Sole triumphi clarent.
Subterranea ergo Roma, quam perluſtras,
Illuſtri palmis Roma haud inferior:
Inde enim meritò palmam fert, quia conſpi-
cuæ, cui ſubeſt, præeſt, dum ab imo
Caput attollit,
Mortuorumque exuvijs apprimè onuſta, adhuc
Inter tumulos, inter cineres
Vivit Deo.
Vis Lector noſſe, quantum ſpeluncæ urbis
Septenis collibus præcellant?
Vel paucis dicito,
Monumenta hic quot video, vagientis incuna-
bula fidei, regionis monimenta,
Munimenta Chriſti, Chriſtianorum ſunt.
Verè Martyrum ſepulchris ſe pulchram Roma
fatetur,
Cruore magis, quàm purpurâ rubens:
Fornices non Cæſarum, ſed cæſorum exuvijs
nobiles,

Notas ac titulos, ferro ac ſanguine claros, inſculptos oſtentat.
Tument adhuc lutei viventium pignoribus,
Vulneribus prædivites tumuli,
Titulorûmque apices ultro cruore madidi,
Cultróque inciſi
Reciſa Martyrum membra palmis coronant,
Et menti vel crebra inter mortis funera, fænora immortalitatis propinant.
Hoſpes ergo ſi pius,
Dum lætus latentes in letho theſauros lynceus introſpicis,
Supplex loci ſanctitatem, quæ urbi latens,
Orbi jam patens eſt, venerare, & poſthàc
ſub luto aurum, Cœlum ſub cæno,
ſub Roma Romam quærito.

Paulus Aringus.

Romæ in S. Pauli.

Sub hoc pavimento Teſſellato
Eſt Cæmeterium S. Lucinæ
MATRONÆ,
In quo plurima Sanctorum
Martyrum corpora
requieſcunt.

Cæmeterij S. Calliſti. *Romæ.*

Hoc eſt cæmeterium Calliſti
Papæ & Martyris
Inclyti, quicunque illud
Contritus & confeſſus
Ingreſſus fuerit, plenam
Remiſſio-

Remiſſionem omnium peccatorum
ſuorum obtinebit,
Per merita glorioſa centum
ſeptuaginta quatuor Millium
Sanctorum Martyrum
Unàcum quadraginta ſex
Summis Pontificibus,
Quorum ibi corpora in pace
ſepulta ſunt.
Qui omnes ex magna tribulatione
Venerunt, & ut Hæredes
Fierent in domo Domini,
Mortis ſupplicium pro Chriſti
Nomine pertulerunt.

Epigraphe monimenti Neriani. ibidem.

Cæcus hic loci ſqualor
Et illuſtri Martyrum ſanguine
Adhuc ſtillans,
At S. Philippi Nerij
Longo decem annorum domici-
lio illuſtrior.
Quem dum ipſe inhabitaret,
Adeò affluente de Cœlo Divi-
næ Dulcedinis copia
recreatus eſt,
Ut undique exuberante amo-
ris vi
velut impotens ſuperfunden-
tis ſe gaudij,
Clamaret ſubindè
Peterétque,

Ut ceſſaret tantus lætitiæ
æſtus,
Quem mortalis anguſtiæ pecto-
ris non caperent.
Ne igitur inter hæc illuſtria
Martyrum monimenta
Tanti viri vetuſtas aboleret
Nomen,
Teſtatiſſimum hoc erga ipſum
Pietatis
Monumentum poſitum eſt
Anno Jubilæi M. DC. L.

Cæmeterij Prætextati, Romæ.

Hic congeſta jacet, quæris ſi, turba piorum,
Corpora Sanctorum retinent veneranda ſepulchra,
Sublimes animas rapuit ſibi Regia Cœli,
Hic comites Xyſti, portant qui ex hoſte Tropbæa,
Hic numerus procerum, ſervant qui Altaria Chriſti,
Hic poſitus, longa vixit qui in pace ſacerdos,
Hic Confeſſores Sancti, quos Gracia miſit,
Hic Juvenes pueríque, ſenes caſtique nepotes,
Queis magè Virgineum placuit retinere pudorem.
Hic fateor Damaſus volui mea condere membra,
Sed cineres timui ſanctos vexare piorum.

Cæmeterij Priſcillæ, Romæ,

Hoc eſt Cæmeterium
Priſcillæ,
In quo exiſtunt corpora
Trium millium Martyrum,

Mar-

Martyrio
Per Antoninum Imperatorem
Affectorum. Quos S. Pudentiana
Fecit in hoc ſuo Venerabili
Templo ſepeliri,
Et proprijs manibus Spongia
Colligebat ſanguinem
Supra dictorum Martyrum,
Et repoſuit in Puteo,
Qui eſt ad dexteram hujus
Eccleſiæ in Sacello
Sancti Paſtoris.

Bononiæ in Ambitu Monaſterij Germanorum:

Siſte gradum, ſpecta monumentum hoc, quæſo, Viator;
Quod pia, quod cultrix legum Germana Juventus
Condidit, ut genti pateat commune ſepulchrum,
Ut Germanorum manes poſt fata quieſcant,
Sacra parentali capientes annua ritu.
M. D. L.

Patavij, ad ſepulturam Germanorum.

NE plores hic amiſſos, Germania, natos;
Tempore quemque ſuo fata, locuſque manent.
Felices, ne conſpiciant incendia mundi;
Ante mori ſummum qui potuêre diem.
Cum nutante brevi Cœlum dabit axe ruinam;
Et tandem falſum non ſinet eſſe Deum.

Att-

Annó Domini M. D. LXI.
Conſiliario Nicolao Ribeiſen, Procuratoribus
Melchiore Hainzel, & Carolo Bambergo.

Salisburgi ad S. Petrum.

Orate fratres
Prò vivis Mortui, pro mortuis Vivi,
Quibus
Ut plena eſſet dilectio
In vita & morte,
Extruxit, ſubſtruxit,
Utrinque dormitorium,
Illud in Cellas varias, iſtud in Cryptam
Hanc unicam;
Ut quam pacem multo ſtudio quæſiviſſent,
Uno heic compendio invenirent:
Et conſtans ſervarent ſilentium,
Quod per lòcorum interſtitia didiciſſent.
Denique,
Qui in vita dilexerunt ſe,
Mors invicem non ſepararet.
Quibus ſe poſt mortem adjungi voluit,
Qui in vita poſuit
Fratrum amator
Amandus Abbas.
Anno M. DC. LIX.

Colmariæ ad D. Auguſtini.

Nugamur, mortémq; procul, procul eſſe putamus:
At medijs latet hæc abdita viſceribus.
Scilicet ex illâ, quâ primùm naſcimur horâ,
Prorepunt juncto vitáque Mórsque pede.

Par-

Partem aliquam furtim, quâ ſe metitur & ipſa,
Surripit è vitâ qualibet hora tuâ.
Paulatim morimur; momento extinguimur uno:
Ut lampas oleo deficiente perit.
Ut nihil interimat; tamen ipſo in tempore mors eſt;
Et nunc interea dum loquimur, morimur.

Celeberrimi Mediolanenſium
Limocomij Inſcriptio.

Quid exhorres locum, Viator,
Ubi tam multi ſunt, quos amâſti?
Ædificij hujus
Sola tibi diſplicere occaſio debeat.
Capitolium MORTIS hoc eſt;
Agit illa huc currus ſuos,
Quoties debellatâ Populorum ſalute
Triumphat.
Nulla ex re magis
Secundæ Romæ Majeſtatem
Intelligas,
Quàm quòd in ea vel ipſa Peſtis
Tam magnificè habitat.
Aſceterium Patientiæ,
Tot penè diſtinctum in Cellas,
Quot ſecatur annus in dies.
Novam pleroſque Philoſophiam
Ineruditis hiſce ſub porticibus
docuit,
Prædium mortis eam illi ſæpè
Protulit meſſem,
Ut æſtatis unius feracitate
Horrea ſua omnia prorſus implerit. Suos

Suos & circus hic coronat Athletas;
Habet Caroli Virtus,
Et æmulos, & hæredes;
Qui ex bonis Palæſtritis
Optimi milites;
Vel cum ineluctabili neceſſitate
Audeant hoc campo certare:
Viden' ut ex omni facie
Miſeris Deus patet?
Inter eos medius
Ex undequaque aperto tentorio
In omnem Areæ ambitum
Ejaculatur ſolatia.
Numerum Columnarum quid ſtupeas?
Ruentem ſpem vitæ
Ne tam multa quidem fulcra
ſuſtineant.
Aquarum ſcatebris totus ut ager redundet,
Extinguendæ tamen iræ Dei
Quam continet;
Tuis adhuc lacrymis opus habet;
Tactos igne de cœlo ne dubita,
Quos vides ſolos de ſe cineres
Reliquiſſe.
Et adhuc providos non venditemus
Mortales;
Qui vallo & mœnibus
Conamur peſtem includere,
Ac ſi non veniret ex alto?
Cœli vitia nemo benè correxerit,
Qui ea non correxit in ſuis.

Aloyſius Juglaris.

AREOLA VI.

INSCRIPTIONES CAMPANARUM, ET ORGANORUM.

Rotomagi.

IPſa ego ſum quamvis ſonitu veneranda, Tonanti
Prima eſt Auctori gloria danda meo.
Namque ter & denis cum ternis millibus æris
Obtulit hac vario dona dicata Deo;
Scilicet Amboſius, qui ſancta Georgius arma,
Cunctáque Francigenis tractat habenda viris.
Rotomagum tanto felix Antiſtite gaudet,
Cum ſit Cardinei gloria ſumma chori.

Antuerpiæ apud Prædicatores, veteri Campanæ inſculptum legitur:

Temporibus clango certis, & funera plango.
Anno 1253.

Ibid. in Turri Mariana, Campana, quæ Caroli nomen accepit, pondus habens XVI. millium librarum, hac Epigraphe circumducitur:

CArolus è celſo Caſtellæ Rege Philippo
Ortus; avus ejus Maximilianus erat;

Hujus auſpicio numeros & nomina ſenſi:
Sacra, faces, pacem, funera, bella cano.
Anno M. D. VII.

Alia campanæ inſcriptio.

SVblimi erudio populum de turre, puſillo
Cum grege ubi ſacrâ ceu pila ludo domo.
Et plector ferro, Divûm quo juſſa faceſſam;
Impia ſupplicij eſt cauſa, fuiſſe piam.

Balduinus Cabillavus.

Alia.

EN ego Campana, nunquam denuncio vana,
Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos plango, vivos voco, fulmina frango:
Vox mea vox vitæ, voco vos ad ſacra, venite.
Sanctos collaudo, tonitru fugo, funera claudo.

Alia.

FVnera plango, fulgura frango, ſabbata pango,
Excito lentos, diſſipo ventos, paco cruentos.

In Campana Fuldenſi quam f. c. Abbas Joann. von *Merlau Anno* 1440. *quam Oſanna vocavit, hi verſus ſunt fuſi.*

Annis bis duo (millenis quinque triginta,
De Merlau primas Joannes contulit hoc vas.
Quem ſalvet Chriſtus, Bonifacius, & Benedictus,
Simplicius, Fauſtinus, Proceſſus, Martinianus.
Deſtrue tonitrua, Tu fulgura, Stella Maria
Cum Sancto Sturmi, quoties pulſatur Oſanna.

In

Inſcriptiones Organi in Templo Collegij Taurinenſis. Inſcriptio I.

Comes Philippus Sanmartinus
Ab Alladio
Amans in concentibus,
Quam profitetur in moribus,
Harmoniam,
Cum optimè de ſe merito Numini
Debitas dare grates
Una ſatis voce non poſſet,
Effuſo in mille & ſexcenta guttura Spiritu,
Multiplici modulatione
Tam multiplicem charitatem,
Aſſiduè voluit hoc in templo
Laudari.

Inſcriptio ſecunda.

Bellicis fatigati lituis, ad mitiorem melodiam
Aures arrigite. Auri miraculo
Aſſuetum ſtragibus Plumbum
Manſueſcit in cantus,
Et quos olim occidebat
Nunc exhilarans
Seu canentes exprimat volucres;
Seu tubas clangentes,
Stet ſemper ingens Paci præſagium,
Deo ſacrificium, Auctori præconium,
Et Auctoris Educatoribus
Societatis JESU Patribus
Ornamentum.

Aloyſius Juglaris.

AREOLA VII.

HOROLOGIORUM INSCRIPTIONES.

Uratiſlaviæ.

Aſpice quàm celeri curſu levis effugit hora,
Lubrica nec vitæ tempora perde tuæ.
Diffugiunt anni celeres, lethúmque minantur,
Mortuus ut poſſis vivere, vive bene.

Florentiæ ſub horologio S. Mariæ novellæ.

SIc fluit occultè, ſic multos decipit ætas,
Sic venit ad finem quidquid in Orbe manet.
Heu, heu, præteritum non eſt revocabile tempus,
Heu propiùs tacito mors venit ipſa pede.

Roſtochij ſub horologio Jacobæo.

INdice me quoties fugientes ſuſpicis horas,
Te toties greſſu Mors propiore premit.

Variæ Horologiorum inſcriptiones

HÆc tibi, quæ terris præceps fluit horula, cœlo
Si ſapis æternos eſt paritura dies.

De tot conjice, quæ notantur, horis,
Quæ fluxæ ultima ſit futura vitæ.

Con-

Conjice, quot ſubeant hoc fata & tartara puncto,
Quos natura dedit, vivere diſce dies.

Hac cuſpis monet, ut caveas à cuſpide mortis.

Arma gero, mors arma gerit graviora; ſupremos
Namque dies vitæ denoto, & illa facit.

Hora hæc eſt tumuli forſitan hora tui.

Labentes tacitè quæ temporis aſpicis horas,
Et tacitos vitæ cerne perire dies.

Quàm ſit vita brevis, ſtylus indicat. aſpice punctum:
Vt ſtylus hic, quamvis videatur ſtare, movetur,

Vt ſenſim levis umbra fugit, quæ ſtare videtur,
Sic quæ fluxa putas, ſiſtunt: quæ firma, moventur.

Quis ſcit, an extremam ſtylus hic tibi denotat horam?

Vmbra fugit, volat hora, dies perit, occidit annus;
Stat nihil, & ſtet homo, qui velut umbra fugit?

Æternum nihil eſſe, fugax monet annus, & annum
Quæ rapit orta dies, quæ rapit hora diem.

Dum fugio Solis faciem, mihi deficit umbra:
Sic non vivit homo, qui fugit ora Dei.

Damna fleo rerum, ſed plus fleo damna dierum;
Quiſque poteſt rebus ſuccurrere, nemo diebus.

Tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante dies.

Cernis ut abſque morâ tibi temporis effluat hora:
Quære quod æternum eſt, nam ſtatus iſte perit.

Vna tibi æternos fœnerat hora dies.

Certa tibi mors eſt, incerta at funeris hora.

Immortale nihil, Ver, Bruma, Autumnus & Æſtas,
Hora, dies, annus, ſæcula cuncta docent.

Caute cave, medio ne deſit lumine lumen.

Mors certa eſt, incerta dies, incertior hora.

Fleres, ſi ſcires unum tua tempora menſem;
Rides, cùm non ſit forſitan una dies.

Conjicis huc oculos dubios, modò conjicis illuc:
Siſte oculos, omnis ſiſtitur hora tibi.

Hoc cernis punctum, certum eſt, quod denotet horas,
At magis eſt certum, quàd tibi fata notent.

Diſce quod aufugiunt horæ, momenta, tuorum
Tot ſecum fugitiva trahunt momenta dierum.

Nola ſilet, ſtátque hora, gravi en trabo pondera plumbo
It rota nexa rotis, tinnuláque æra ſonant.
Quis teneat lento fugientia tempora nodo,
Si dant & celeres plumbea vincla pedes?
Baldvinus Cabillavus.

Quæ rota firma manet, properas cùm nunciat horas,
A plumbo diſcit præcipitare viam.
Temporis accelerant motum ſi pondera plumbi,
Temporis impedient vincula nulla pedes.
Joſephus Baptiſta.

Gratianopoli.

TOlle moras: fugiunt tacito nam tempora curſu;
Nec tibi præteritos referent horaria menſes,

Vm-

Vmbra dies numerat, nihil eſt velocius umbrâ;
Ergò eſt vita brevis, quam levis umbra regit.

Tempora perpetuum à puncto volvuntur in Orbem;
Inconſtans vita eſt, quam celer orbis agit.

Cuſpidis umbra docet, nos umbras eſſe futuros,
Incerta & certam denotat hora necem.

Vt cuſpis, ſic Vita fugit, quæ ſtare videtur.

Dic mihi, quid prodeſt horas numerare fugaces?
Dum ceſſans perdas, quod numerare libet.

In arce Uraniburgicâ Danorum.

TEmpora circuitu cœlum fugientia volvit,
Nec modò prætertens hora redire poteſt.
Temporibus totus fugitivis clauditur Orbis,
Præterit & toto quidquid in orbe viget.
Ergò quid expediet mundi fugitiva figura,
Cur his conformes, quæ peritura, ſumus?
Eſt aliud quod nos cœlum exſpectátque vocátque,
Idque ævo, aſpectu, limitibúsque caret.
Huc huc tendámus: manet illic patria vera;
Nec mundi immundi nos remoretur amor.

Tycho Brahe O. F.

Croneburgi ad Horologium.

TRanſvolat hora levis, neque ſcit fugitiva reverti:
Noſtra ſimul properans vita caduca fugit.

Horologij alia Inſcriptio.

HÆc, quæ metitur vocalis tempora moles,
Cum cœlo tacitum, credite, fœdus habet.

 Nam

Nam Cœlo Sol quidquid agit noctuve, diuve
Inſcriptum nobis Machina fronte refert.
Artis opus miræ Ad terram revolubile plumbum
Nititur, & ſpiris trochlea verſat onus.
Pondere ab hoc motus: nam dum vi vertitur axis,
Dentatus cogit mordicus ire rotas:
Morſu illo implicitos, obversóſque orbibus orbes
Pendula ſuſpenſo examine libra movet.
Æneus hinc monitor turri ſonat, & ſimul horas
Mobilis inſcripto lingula in orbe notat.
Dividit hic index vitam, totamque minutim
Concidit, ſolidum dilaceratque diem.

Solarium Horologiorum inſcriptiones.

N*On liceat nobis horam ſperare ſerenam,*
Deſignat noſtros umbra maligna dies.

Alia.

Horas umbra notat, quamvis in marmore. Diſce,
Ut levis umbra volat, ſic tua vita fugit.

Alia.

Supra duritiem ſaxi quòd mobile tempus
Forſitan ignavo gaudeat ire gradu:
Tu ne firma putes mortalis tempora vitæ,
Indicat hic nobis noſtra ſepulchra lapis.

Alia.

Eſt Phœbi cúſpis, quæ nobis indicat horas,
Serpentes olim, nunc homines lacerat.

Alia.

Horas oſtendens rapidas hic umbo, ſagitta eſt,
Mobile quâ tempus vulnera noſtra facit.

Horologij ſolaris inſcriptio.

Explorat dum ſolis iter Cœlique labores,
Nec niſi ſub grato lumine vivit opus;
Diſce vias Domini ſignandas paſſibus æquis,
Quod docet inciſis muta tabella notis.
Sit ſplendens tua vita decor, quáque ille recedit,
Hac quoque te extinctum vivere parte puta.

Alia.

Hac, licet exili nulla eſt lethalior umbra,
Nam quidquid fugiens attigit, interiit.

Bredenbergæ.

Hic tibi cum numero ſpectantur nodus & umbra,
Quæ tria quid doceant, commemorare libet.
Vmbra notat dextrè, quota curſitet hora diei,
Hincque monet, vitam ſic properare tuam.
Aſt in quo ſigno magni lux publica mundi
Verſetur, mira nodulus arte docet.
Si vis ſcire, dies quot quilibet occupet horas,
Id numerus media ſede locatus habet.

Inſcriptiones Horologij Hydraulici;

Surgit, caditque vicibus hic certis Latex:
Solíſque curſus, dum cadit, ſurgit, notat.
Fabella Fontis vana Caſtalij fuit.
Arcana Phœbi Larius pandit Latex.

Alia.

Horas prius notaſſe qui affirmat Syros,
Injuriam protervus huic fonti facit.

Alia.

Hâc mens in Vndâ eſt: tacitus hanc hoſpes bibe,
Aſtronomiam, potus hic Amnis docet.

Alia.

Alia.

Habitare Lymphas nemo jam Nymphas neget,
Hoc fonte celſum Vrania mutavit Polum.

Alia.

Si conſuetâ Phœbus erraret viâ,
A fonte Phœbus corrigi poſſet ſuo.

Alia.

Tempora confuſis Phaethon cùm perdidit aſtris,
Tempus in hoc tantùm Fonte ſuperſtes erat.

Alia.

Hanc eſſe Patriam Numinum, & Solis Solum,
Sideribus cognatus hic fons arguit.

Alia.

Clarior hâc nulla eſt, nulla eſt obſcurior undâ,
Abdita dum refuga cauſa lateſcit aqua.
Attonitas hebetant docta hæc Miracula mentes;
Et linguam gelido lympha ſtupore ligat.
Larius hem (1) Clario quàm diſcrepat Amnis ab Amne?
Ille loqui Muſas, iſte tacere facit.

(1) Clarius Apollinis fons erat prope Colophonem, cujus potu oracula reddebantur.

Hæc Emmanuel Theſaurus.

Clepſydræ inſcriptio.

UT petit ima gravis clepſydrâ conditus humor,
Sic cadit æthereo miſſus ab axe dies,
Heu properata nimis maturaſ fata ſenecta,
Si fugiunt anni more cadentis aquæ.
Si vix orta ætas eſt, cùm ſua funera ſentit,
Quod datur exiguum tempus, abibit iners?
Sola manet Virtus, rapidis immobilis annis;
Cætera nativo pondere preſſa ruunt.

Janus Nicius Erythræus.

Alia.

Fida licet ſoles fluidâ metiris arenâ,
Mentiris, profugo pulvere fallis Herum.
Nónne tuo numeros quò plures addis acervos,
Labentem minuis, dum fugit hora, diem.

Baldvinus Cabillavus S. J.

Clepſydra, Mortis Memoria.

Nympha fugax vitreo quæ carcere plorat, & horas
Temperat alternis irrequieta moris,
Nolo putes Lympham. Dic, Limpida mortis imago es,
Hanc ſpecta, & vinces Styx quibus ardet aquas.

Idem.

Ad Horologium Automaton, Bredembergæ.

Hoc opus æquales ſpatijs diſtantibus horas
Lapsáque ſub terras, ortáque ſigna docet,
Quæ mediam Cœli labentia ſidera & imam
Obtineant verſa Cardine ſigna domum.
Lunáque quo Phœbo jungatur tempore monſtrat,
Oppoſitum teneat Lunáque quando locum.
Felices animæ, quibus hac ſapientia cura eſt,
Lucidáque immotis legibus aſtra colunt,
Illas poſteritas meriti memor inferet Aſtris,
Aſtrorum monſtrat fabrica mira Deum.

Horologium ſolare & clepſydra cui par.

Quas cœlo irradians Titan enuntiat horas,
Nubila in innubi dividit Vmbra die;
Aut lentá elachrimans diſtillat clepſydra guttâ.
Hac oculi, illa nigrans cordis imago mei.

Baldvinus Cabillavus S. J.

Clepſydra ſeu Pyxis arenaria ſpeculum mortalitatis. Arenæ ad hominem.

NOs numerus ſumus, & tempus tranſmittere na-(ta,
Sed tranſmittendo nos quoque decidimus.
Turba minuta ſumus, populúſque caducus, arenæ;
Cogit in anguſtum nos brevis hora locum.
Ex nobis homo mortalis mortalia diſce:
Omnia prætereunt, præcipitata cadunt.
In parvum loculi cogitur vita foramen;
Sit ſpeculum vitæ Clepſydra noſtra tuæ!

Bohuſl. Balbinus.

Alia.

Labilis ille cinis vitæ qui dividit horas,
Nos probat haud ullâ poſſe quiete frui.

Jacobus Zevecotius.

Inſcriptio Clepſydræ.

TEmpus aquâ veteres, ſed nos metimur arenâ:
Veſtra fluunt, Veteres, tempora, noſtra cadunt.

Bohuslaus Balbinus.

Alia.

EXiguus vitreo refluit qui carcere pulvis,
Dum rapido monſtrat quo fugit hora pede,
Quàm bene mortalis metitur munera vitæ,
Noſtráque ſub fragili tempora mole refert!
Captivi rapimur fatis: quod vivimus, hoc eſt
Uſque mori, & tenuis, quem capit urna, cinis.

Philomathi Muſæ Juveniles.

Alia.

Ut tacitè fluxam vitrum tranſmittat arenam
Ætatis ſpolium qualibet hora rapit.

Dic-

Dic mihi quæ noſtræ longiſſima linea vitæ?
Vix numerat ſpithamas menſio tota duas.
Noctes, atque dies metam properamus ad unam,
Vltima nos omnes efficit hora pares.

Alia.

*Q*Vatuor omnigenis diſtinctum vultibus annum
Pulveris hic totidem vaſcula ſata notant.
Vt ruit ille ſuos iterum rediturus in orbes,
Hæc repetunt vacui priſtina jura loci.
Vt fugitiva ſecant bis ſenos tempora menſes,
Hic ſtatuit numero fixa columna pari.
Nonne vides albo ac nigro variata colore
Ferre die noctem, nocte referre diem?
Hæc ſunt Fregoſis antiqua inſignia Divis.
Non potuit Virtus plenius alta loqui:
Æquare anfractus longè inſuperabilis ævi:
Virtute immenſi ſæcla tenere Dei.

J. Cæſ. Scaliger.

Horologij Solaris.

ADeò ſolitariæ ſunt horæ, ut nulla fluat, niſi ſola.
Adeò amicæ, ut nulla alteri invideat,
Adeò fideles, ut nulla alteram fallat,
Adeò veloces, ut nulla ullibi ſiſtat.
Fluxit Pars horæ dum aſpicis,
Tu quoque, dum aſpexiſti, fluxiſti.

Petrus Labbé,

AREO-

AREOLA VIII.

INSCRIPTIONES SCHOLARUM.

Gorlicij ante ſcholam Humanitatis.

PRima bonæ mentis ſit cura, ſit altera morum,
Tertia litterulas perdidiciſſe bonas.
Quæ virtute caret, non eſt doctrina putanda:
Et Chriſtum ignorans bellua totus homo eſt.

Uratislaviæ, officij Scholaſtici compendium:

Ora, obtempera, Tace, audi, diſce, repete, exerce, patere.

Bononiæ in auditorio inferiore.

MAgiſter eſto diligens, doctus, Vigil,
Verique amator, & alieni commodi.
Auditor at tu ſis laboris appetens,
Magiſtri amator, & imitator ſedulus.

Ibidem in alio auditorio.

ESte pares, & ob hoc concordes vivite, cùm vos
Et decor, & ſtudium, & munus ſociârit & ætas.

Bononiæ in ſchola Hiſpanorum.

ÆGidius Albornatius Sanctæ R. E. Cardinalis Primas Hiſpaniarum, totius Italiæ legatus

tus, qui ſedem Romanam diu Avenioni exulantem Italiæ reſtituit, haſce ædes publicæ juventutis Hiſpanæ commodo conſtrui juſſit; quas Ferdinandus Hiſpalenſis præſul à fundamentis perfecit, Anno poſt C. N. 1365.

In Auditorio Magno Juriſconſultorum.

PRincipem Gymnaſij claſſem, urbis ornamento, civitatis ſplendori, & poſteris incitamento, conſiliarijs bene geſtæ adminiſtrationis memoriæ relinquendæ, ac bene meritis officijs devinctos oſtendendi ſtudio, eorundem generis, nominis & honoris inſignibus placuit exornari. anno ab ortu Chriſti M. D. LXIX. Pio V. Pont. Max.

Item.

UNiverſitas Legum ſtudioſa, veterem hujus Auditorij dignitatem animo repetens, atque eidem iti poſteram, quo ad poſſit, conſulere cupiens; novis his inſignium ſuorum ornamentis cohoneſtandum curarunt, annuente D. Joanne Baptiſta Salvago Genuenſe Univerſitatis Priore digniſſimo. Anno à Chriſto nato M. D. LXXI. Gregor. XIII. Pont. Max.

In auditorio Juriſconſult. III.

BOnonien Gymnaſij adoleſcentes nobiliſſimi utramque Juriſtarum Univerſitatem conſilio prudentia & fidelitate gubernantes, ſui præceptoris nomen honorificè illuſtrare, harum ædium ſplendorem magnificentius augere, benè geſtæ admi-

adminiſtrationis memoriam relinquere, ac ejuſdem muneris vicarios ad honeſtam æmulationem excitare ſtudentes, ad claſſem hanc publicam ſuæ familiæ ac nobilitatis imaginibus publicis exornandam, æs publicum erogari juſſerunt. Anno Dom. M. D. LXXVII.

Dantiſci in veſtibulo Scholæ Marianæ.

HÆc domus eſt Chriſto, ſtudiisq; dicata juventæ;
Nemo ſacrum violet, dedecoretque locum.

Regiomontani veteris Collegij inſcriptio.

QVi regit indomito præſtantes Marte Boruſſos,
Gymnaſio Princeps hæc dedit arma ſuo.
Nempe duas aquilas, invictum heroaque cujus
Æonidas forti protegit enſe manus.
Quando Redemptoris poſt incunabula noſtri
Addita ter centum luſtra duobus erant:
Phœbus & undecies ternos compleverat orbes,
Lucida qui cœli ſigna pererrat equis.
Hæc erecta fuit doctis Academia Muſis;
Quas fovet Alberti cura benigna Ducis.

Novi Collegij.

HOc opus Albertus Fridericus Marchio ſtruxit,
Patris ut impleret vota ſuprema ſui.
Debetur Patri, debetur gratia nato,
Quorum cum Muſis gloria ſemper erit.
Vive diu Princeps, & per veſtigia Patris
Incedens, pergas amplificare Scholas.

Mediolani in Schola Palatina.

Quiſquis es otioſus, ſeu negotioſus,
ſuſpice.
Oti hic locus eſt, olimque fuit,
In quo Themidem & Suadam colas:
Hæc te virum, illa civem faciet,
Bona bonum.
Sed heic faciet. Veni,
Ut in otio negotioſus ſies,
in negotio otioſus.
Erycius Puteanus C. R.
Profeſſor Eloquentiæ, &
Hiſtoriographus Regius
D.D.D. P.P P.
Vido Mazenta Præfecto urbis.
M. DC. V.

Sorbonæ.

Corporis hanc primam primo Sorbona Roberto
Materiam, at formam debeo Richelio.

Sorbona

DEO OPT. MAX. S.

Quo Tu cunque loco fueris, fuerisque Richeli,
Hoc, & in æterno non moriere loco,
Divite *vive loco, quo Te veneratur in ævum*
Sera dies, nunquam præteritura dies:
Hic rediviva ſuis ſtant aſſurgentia membris
Templa Richeliacis oſſibus ætherea.

Collegium V. Nationum è Regione Luparæ.

Spiritus Auguſti vox & ſacer ordo Monarchæ
Hac voluit linguis omnibus æde loqui.
Sed quia Quaterno dixit ſtat Cardine Mundus,
Sufficit, hanc linguis tot reſonare domum.

Robertus Keuchenius.

Salmanticæ.

ANno Domini M. CC. Aldephonus VIII. Caſtellæ Rex Pallantiæ Univerſitatem erexit, cujus æmulatione Alphonſus IX. Legionis Rex, Salmanticæ itidem Academiam conſtituit Illa defecit deficientibus ſtipendijs, hæc verò in dies floruit, favente præcipuè Alphonſo Rege.

THEOLOGIÆ SAC.

QUa rerum divinarum cognitione hominum mentes imbutæ terrena deſpiciant, cœlum votis petant, beatámque jam nunc incipiant vivere vitam.

JURI CIVILI.

QUo poſſint Principes Remp. bene gerere, & curas hominum rectè componere, ſitque omnibus cordi pax & juſtitia. Prudentiam majorum hoc loco Senatus docendam curavit.

Ibidem in picturam Palladis, quæ naſcitur ex cerebro Jovis.

NOn aliud capite ex tanto prodire decebat,
Non aliud dari Virgo Sophia potis.

Quid

Quid ſalit armata? ut pugnet invicta profanis,
Defendat populos, regnáque tuta regat.

Conimbricæ in Luſitania.

Regum olim hæc fuerat, Muſarum regia nunc eſt,
Eſſe uſquam melius non potuêre Deæ.

Tarraconæ.

D. Paulo Apoſtolo Sac.

CUm Gaſpar Cervantes Gaete. S. R. E. Card. Opt. atque Religioſiſſimus Tarraconens. Antiſtes, magnam vim auri, ex quo vectigalia mercedibus ſolvendis præceptoribus omnium diſciplinarum emerentur, Reip. noſtræ dediſſet, S. P. Q. Tarraconenſis tanto beneficio excitati, locum hunc eisdē diſciplinis docendis extrui juſſ. VII. Eid. Sept. Anno ſalutis Chriſtianæ M. D. LXXII. Lud. Joan. Liula. Franc. Febrer. Pet. Liber Coſſ.

Argentinæ.

Anno M. D. XXXXVIII. depoſitis armis,
& pacatâ gravi inter Carolum V.
Imp. Rom. & Franciſcum I.
Galliar. Regem diſcordiâ,
S. P. Q. Argent.
Juventuti Chriſtianæ Religione &
Liberalibus diſciplinis inſtituendæ
Ludum literarium aperuit,
Præfecto primario Jac. Sturmio,
Rectore Joanne Sturmio.

Wittenberga.

ACademiam Wittenbergenſem Jo. Fredericus DEI benignitate Dux Saxoniæ, Sacri Rom. Imp. Elector & Archimar. Lantgr. Tur. Marchio Miſniæ & Burg. Mag. fundavit. Fredericus inchoavit, Joan. conſervavit, Mauritius bello diſſipatam inſtauravit: Auguſtus exornavit, amplificavit & confirmavit.

Colmariæ.

PAtres reipub. qui docendis atque diſcendis, cùm litteris, tum moribus ædes haſce poſteritatis ergò FF. hortantur peregrè, & mactè virtute eſſe adoleſcenteis, iiſque ſtudijs incumbere, quibus & ſibi honori, & amicis gaudio, & reipub. emolumento eſſe poſſint. An. Dom. 1539.

Expertes invidentiæ Muſar. fores.

Burdigalæ in Collegio Aquitanico.

FRanciſcus Fluſcas Candala, Illuſtriſſ. Princeps Boiorum Captalis & Epiſcopus Adurenſis in litterarum gratiam & Matheſeos illuſtrationem, Mathematicam lectionem perpetuam & ſolemnem in Gymnaſio Aquitanico inſtituit, atque annuo 500. librarum ſtipendio dotavit anno Domini 1591. IV. Cal. Aug.

Lugduni Batavorum.

Memoria Poſteritatis.

ÆDem. Iſtam. In. quam. anno. cIɔ. Iɔ. LXXXI. Curatores. Academiæ. & Coſſ. hujus.

hujus. urbis. publicas, Acroaſes. transferri. voluerunt. Quamque. veræ. ſapientiæ. &. liberalibus. docentium. ac. diſcentium. exercitijs. atque. honoribus. dedicarunt. poſtquam. exorta. repente, flammæ. violentia. III. eid. Novemb. anno. cIↃ. IↃc. XVI. tectum. ejus. trabeis. Cathedras. ſubſelliáque. fœde. abſumpſiſſet. eam. ex. decreto. Ill ac. Præpot. Hollandiæ. &. Weſt-Fr. Ordinum, in. hunc. modum. magnifice. reſtauratam. Publicis. divinarum. atque. humanarum. Rerum. diſciplinis. conſecrarunt.

Adrianus, A. Matenes. Dominus. In. Matenes. Opmeer. &c. Cornelius, Van. Der. Myle. Dubbeldam. &c. Acad. Curatores.

In Bituricenſi Academiá,

REgnante Ludovico Juſto, Henrico Bourboneo Condeo Prorege Biturigum, hic poſita eſt ſucceſſio anteceſſorum, qui in Academia Bituricenſi & docendo & ſcribendo claruerunt, ut quiſque eorum fato functus eſt, quo dignitas hujus ſcholæ omnibus adeuntibus perſpecta ſit. Anno Domini cIↃIↃcXXIV.

Nomina ad dextram: Andreas Alciatus. Equinarius Baro, Franciſcus Duarenus, Franciſcus Balduinus, Nicolaus Bougerius, Nicolaus Ruſſardus, Hugo Donellus, Franciſcus Hottomanus, Antonius Contius.

Ad ſiniſtram ſunt Academiæ inſignia, nimirùm manus è cœlo porrecta librum apprehendens, circum circa lilia Galliæ: & nomina:

Jacobus Cujacius, Joannes Mercerius, Franciſcus Raguellus, Ægidius Hortenſius, Johan Rencardus, Antonius Bengeus, Jacobus Mercerius, Joannis filius.

Tholoſæ in Collegio Societatis:

HAnc Capitolini Proceres, authore Senatu
Virtuti Muſiſque dicant feliciter ædem
Auſpiciis, Henrice, tuis: & limine parvo,
Hinc belli lauros, hinc longæ pacis olivas,
Fortunæ monumenta tuæ immortalia ponunt.

Taurini in facie Academiæ.

NOſſe Deum, & mores hominum, Juriſque receſſus,
Et rerum cauſas, morbos curare requiris?
Huc ades, immortalis eris, labor omnia confert.

Altorffij.

JUventuti, Religionis Chriſtianæ doctrinâ, Linguis, Latinâ & Græcâ, optimis denique artibus, ac diſciplinis informandæ.

Georgio Volkamero, Philippo Geudero, Hieronymo Baumgartnero, Literatorum Præfectis, & Balthaſaro Baumgartnero, oppidi Præfecto.

Senatus Noribergenſis.

Scholam hanc Nobilem, & Patritiam

Aperiri, & Solenniter introduci voluit: III. Cal. Jul. qui dies Petro, & Paulo Sacer eſt. anno à nato Chriſto Salvatore cIↄ.Iↄ. LXXV. AREO-

AREOLA IX.

INSCRIPTIONES BIBLIOTHECARUM.

Florentiæ in acceſſu Bibliothecæ Mediceæ.

Coſmus in has ædes meliora volumina koſmu
Tranſtulit, & primas quas habet orbis opes.
Sic genuit tandem ſterili de nomine Coſmus,
Rem ſibi tum mundo, cœlitibúſque parem,

Bibliotheca Mazariniana:

Ludovico XIV.
A Victorijs & triumphis regnum auſpicante:
Anna Auſtriaca,
Caſtrorum Matre
Imperij rudimenta tuente.
Julius Cardinalis Mazarinus
Conſiliorum intimus.
Inter bellorum meditamenta
Ingens pacis opus Bibliothecam dicando
Collecta undique volumina rempublicam
fecit.
Ut inter regias laurus
Serpentibus Hederis

Gallica virtus, quæ toto orbe
Victricia arma diu circumferret,
Ne ab gente ulla litterarum gloria
vinceretur.
Anno Domini M. DC. XLVIII.

Bibliotheca Vaticana.

SIxtus V. PP. M. Bibliothecam Apoſtolicam, SS. prioribus illis Pontificibus, qui B. Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiæ primordijs inchoatam, pace Eccleſiæ reddita, Laterani inſtitutam, à poſterioribus deinde in Vaticanum, ut ad uſus Pontificios paratior eſſet, translatam, ibique à Nicolao V. auctam, à Sixto IV. inſigniter excultam, quò fidei noſtræ, & veterum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rituum documenta omnibus linguis expreſſa, & aliorum multiplex ſacrorum copia librorum conſervaretur; ad puram & incorruptam fidei & doctrinæ veritatem, perpetua ſucceſſione in nos derivandam, toto terrarum Orbe celeberrimam, cùm loco depreſſo, obſcuro & inſalubri ſita eſſet, aula perampla, veſtibulo, cubiculis circum & infrà, ſcalis, porticibus, totóque ædificio à fundamentis extructo, ſubſelliis, pluteíſque directis, libris diſpoſitis, in hunc editum, perlucidum, ſalubrem, magis oportunum locum extulit, picturis illuſtribus undique ornavit, liberabilibúſque doctrinis, & publicæ ſtudiorum utilitati dicavit. Anno M. D. LXXXVIII. Pontificatus ſui IV.

Ibidem

Ibidem.

SIxti V. PP. M. perpetuo hoc decreto, de libris Vaticanæ Bibliothecæ conſervandis, quæ infra ſunt ſcripta, hunc in modum ſancita ſunto, inviolatéque obſervantor.

Nemini libros, codices, volumina hujus Bibliothecæ ex ea auferendi, extrahendi, aliôve aſportandi, non Bibliothecario, neque cuſtodibus ſcribíſque, neque quibuſvis alijs cujuſvis ordinis & dignitatis, niſi de licentia Summi Rom. Pontificis ſcripta manu, facultas eſtó. Si quis ſecus fecerit, libros partémve aliquam abſtulerit, extraxerit, clepſerit, rapſeritque, concerpſerit, corruperit dolo malo; illicò à fidelium communione ejectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus eſto, à quoquam præterquam Rom. PP. ne abſolvitor.

Ibidem.

Uti unicum bonum ſcientia eſt; ita inſcitia malum.

Dormiens homo, nullius eſt pretij.

Bibliotheca Julij III. ad Aulam Conſtantini. Romæ.

JUlius III. Pontif. Max. ad honeſtam ab ingentibus curis animi relaxationem, litterarij otij fructum, & jucunditatem, Bibliothecam privatam fieri, & exornari juſſit, Pontificat. ſui anno I.

Neapoli in Bibliotheca montis Olveti.

Pijs ad Dei cultum ſtudijs, ne vel hora fruſtrà teratur.

Bibliotheca Medicea, Florentia.

DEo, præſidib. familiæ. Divus Clemens VII. Medices P.M. libris opt. ſtudio major. & ſuo undique conquiſitis, Bibliothecam ad ornamentum patriæ civiúmque ſuorum utilitatem d. d.

In Bibliotheca Ducis Urbini.

Sint tibi divitiæ, ſint aurea vaſa, talenta
Plurima, ſervorum turba, gemmæque nitentes;
Sint veſtes variæ, pretioſa monilia, torques:
Id totum hæc longè ſuperat præclara ſupellex.
Sint aurati etiam niveo de marmore poſtes:
Et varijs placeant penetralia picta figuris:
Sint quoque Trojanis circumdata mœnia pannis,
Et miro flagrent viridaria culta decore;
Extra intráque domus regali fulgida luxu;
Res equidem mutæ, ſed Bibliotheca pacata
Juſſa loqui, facunda nimis; vel juſſa tacere.
Et prodeſſe potens, & delectare legentem.
Tempora & ipſa docet, venturaque plurima pandit,
Explicat & cunctos cœli terræque labores.

Bibliothecæ Henrici Ranzovij.

Salvete aureoli mei libelli,
Meæ deliciæ, mei lepores.
Quàm vos ſæpè oculis juvat videre,
Et tritos manibus tenere noſtris.
Tot vos eximij, tot eruditi,

Priſci

Priſci lumina ſæculi & recentis.
Confecêre viri, ſuáſque vobis
Auſi credere lucubrationes,
Et ſperare decus perenne ſcriptis.
Neque hæc irrita ſpes feſellit illos,
Veſtro præſidio per univerſum
Ævo perpetuo leguntur orbem,
Doctorúmque volant per ora clari.
Vos eſtis requies honeſta mentis,
Jucunda ingenijs bonis voluptas,
Rebus perfugium minùs ſecundis,
In lætis decus & nitor refulgens.
Vos ætate puer virente, magno
Sum complexus amore; nunc vir autem
Multo proſequor impotentiore.
Et quàm fata diu ſinunt amare,
Vobis immoriar mei libelli.
At cum rege lubens fatebor illo
Alphonſo egregio, eſſe cariores
Veſtras divitias mihi, benigna
Quàm ſors, quas mihi contulit caducas,
Salvete aureoli mei libelli
Salvete ex quibus hæc mihi voluptas
Ævum percipitur per omne grata.
Quàm non intueor libenter! & quàm
Lubens colloquor! ecquid æſtimandum eſt
Curis eſſe beatius ſolutis?

Ejus perpetuum de Bibliotheca ſua Decretum.

Quæ infrà ſcripta ſunt, hunc in modum ſancita ſunto, Ran-

Ranzovij, nec quiſquam alius,
Hanc poſſidento,
Hæredes eam non dividunto,
Nemini libros, Codices, volumina, picturas,
ex ea auferendi, extrahendi,
Alióve aſportandi,
Niſi licentiâ poſſeſſoris
facultas eſto.
Si quis ſecus fecerit,
Libros partémve aliquam abſtulerit
Extraxerit, clepſerit, rapſerit,
Concerpſerit, corruperit,
Dolo malo;
Illicò maledictus,
Perpetuò execrabilis,
ſemper deteſtabilis,
Eſto, maneto.

Bibliotheca Auguſtana.

Bibliothecam hanc S. P. Q. Auguſtanus bonarum artium ſtudijs, & doctorum hominum uſui extruxit Anno CIↄ. Iↄ. LXII.

Hæc Heliconiadum domus eſt, hic flavus Apollo
Caſtalio Vatum labra liquore rigat.

Bibliotheca hoſpitibus.

Hoſpes inhumanum rapiendi projice morem,
Quod tibi non fieri vis, prior ipſe cave.
Omnibus aſpectus datur: at malefida rapina
Res eſt hoſtilis, plena latrocinij.

Ibidem.

Paullatim quoque Roma ſuis progreſſibus uſa
Crevit, id exemplum Bibliotheca ſequor.

Bi-

Bibliothecæ Abbatiæ Tungerloanæ in Brabantia.

MIramur Veterum ſtatuas grandéſque coloſſos,
Æra vel artificis vivere juſſa manu.
Miramur turres & tecta minantia cœlo;
Quæ ingenti lapidum mole parata vides.
At majora tibi ſunt hic miracula, lector,
Quæ ſuperent gazas, Crœſe beate, tuas.
Temporis illa etenim ſenium triſtémque ruinam,
Aut Jovis irati fulmina ſæva timent.
Nil Juris tempus, nil invidioſa vetuſtas
Hic habet; æterno nomine vivet opus.
Nil juvet hic reliquum vitæ conſumere tempus:
Hic dentur ſtudijs otia ſancta meis.
Divitiis alius ferratas impleat arcas,
Ac tantas ſemper ſit miſer inter opes.
Pauperiem fugiens currat mercator ad Indos,
Audiat & rauci murmura ſæva maris.
Spumantes alius pateras, ardénsque falernum
Ebibat, atque gulæ fercula lauta paret.
Pernoctetque ſuæ male ſanus amator amicæ
Ante fores, imo pectore vulnus alens.
Hic me nulla fames auri argentíque cupido,
Nec mea torrebit pectora cæcus amor.
Has facilè abrumpent ſacrata volumina curas,
Si vigili evolvam ſæpius illa manu.
Huc ades ô Quiſquis diſcendi raptus amore,
Quæris quæ docti compoſuêre viri.
Invenies, ſacri quæcumque oracula vates
Afflati ſummo præcinuêre DEO:

Sive latina cupis, ſeu græca revolvere, fonte
Hæc velut è largo bibliotheca dabit

In Bibliotheca Franciſci SWeertii.

Quiſquis es,
Hanc legem lege,
Herus & heros edico tibi.
Muſarum Apolliniſque ſacer hic locus:
Multis clauſus, paucis recluſus.
Si cum paucis vivis, ſapis;
Adeſto, ineſto.
Quoſcunque libros, qualeiſvecumque
Spectabis inibi, liberè
Tangito, legito.
Impreſſi nei perturbantor:
M. SS. nei tanguntor:
Adtentare ſecus
capital eſto.
Viſi, lective, electi, placitivè,
Nei rogitantor, nei efferuntor:
Importunus ſi ſies,
Exeſto, abito.
Ignotis, nullos. nonquam:
Amicis raro, paucos
Dabo. vix dabo.
Legis qui temptor cluet:
Muſarum Apolliniſque hoſtis,
Apollini Muſiſque hoſtia
Sacruficator.
Aſt audin? fallenti me ſemel
Perpetim Cluſius inſiſto.

Ibidem

Ibidem.

SUmptu me multo dominus ſtudioque perornat,
Ut ſim culta bonis bibliotheca libris.
Spectatum admiſſus, probitatis munia ſervet;
Ne quid deformet, ſurripiatve mihi.
Ordine quæque videt quo nunc digeſta reponat:
Ne ſint diverſis poſt repetenda locis.
Urgenti Dominus ſi quicquam commodet, iſtud
Integrum, ut accepit, non monitus referat.
Si quædam inveniet non prorſus grata palato,
Judicióque nimis forte probanda ſuo:
Seſe contineat placidè: tacitus meditetur,
Inſunt & ſcriptis turpia menda meis.
Hanc quisquis legem contemnens, Bibliothecâ
Abſtine ab alterius: volve revolve tuam.

Ad Bibliothecam Parmæ.

INgredere Muſis Sacer, nam & hîc Dij habitant.

Inſcriptio Bibliothecæ Cæſareæ Viennæ, quâ Hugo Blotius Januam Bibliothecæ introducit vice ſuâ ſic loquentem:

CLauſa malis, ſed aperta bonis ego Janua, donec,
Quid te velim, ſcias, rogo
Siſte pedem; quisquis tanto tu dignus honore es,
Ut Cæſaris librariam
Ingrediare domum; dignum te judico multâ
Fide: ergo greſſum promove,
Atque ex Cæſareis cape delectamina libris,
Sed heus relinque ſervulos

A ter-

A tergo, veniámque mihi da tale petenti.

Invita, at experta, id peto,

Quod peto. Litterulis tú paſcas lumina, quiſquis

Es dignus Domo Cæſaris.

Servis mens brevis eſt; ſunt pallia longa, manúsque

Longæ malis, breves bonis.

Sic ego non ſervis, Dominis ſed ſervio doctis;

Sed doctis, qui ſimul boni.

Sic domini ſecura mei, ſic ſervio famæ,

Ne ipſum petat calumnia.

Serve mane, Domine ingredere, & quod Cæſaris eſt, id

Memento Sanctum Cæſari.

Dixi interpres Blotii.

Bibliothecæ Cæſareæ nova inſcriptio:

Quod bonum, felix, & fauſtum ſit;
Bibliothecam Cæſaream
Vindobonenſem;
à glorioſiſſimo Romanorum Imperatore
Maximiliano I.
partim quidem ex Majorum ſuorum libraria
ſupellectile,
partim verò ex pecunia ſua & ſacro Fiſco,
circa Annum Æræ Chriſtianæ M.CCCC.XCV.
fundatam:
Deinde autem non tantùm ſubſequentium Imperatorum
Diligentiâ & Impenſis,
Verùm etiam magnâ parte librorum Sereniſſimi
Regis Hungariæ
Matthiæ Corvini,

Nec

Nec non clariſſimorum virorum Conradi Celtis,
Joannis Cuſpiniani,
Joannis Fabri Epiſcopi Vindobonenſis, Joannis
Dernſchamii,
Wolfgangi Latij, Joannis Sambuci, Augerij
Busbeckij,
RichardiStreinij, HugonisBlotij, TychonisBrahe,
SebaſtianiTengnagelij, & Philippi Everardi Fuggeri, præſtantiſſimis Bibliothecis, aliiſque varijs
maximi pretij Acceſſoribus
adeò locupletatam,
Ut nunc minimùm Octoginta Millibus ſelectiſſimorum
tam manuſcriptorum, quàm Impreſſorum
voluminum
In omni Facultatum, ſcientiarum, & artium genere conſtans, nulli totius terrarum
Orbis Bibliothecæ, vel numero & præſtantia librorum & varietate linguarum
cedat.
Sacratiſſimus Romanorum Imperator ac
Dominus noſter Leopoldus I.
Divi Ferdinandi III. Filius, Cæſar Auguſtus,
ne priùs ſitu ac ſqualore interiret,
quàm in Novum ac commodius ædificium
transferretur,
Ipſe
proprio motu curavit
repurgari, inſtaurari, & in eum ſtatum reſtitui;
ut
& Deo Opt. Max. & Ævo noſtro, & poſteritati

omnimodâ, & prorsùs incredibili utilitate
poſſit inſervire,
Anno Æræ Chriſtianæ M. DC. LXIII.

Epigraphe Bibliothecæ S. Galli.

JOachimus Vadianus Poëta, Orator, Medicus, Geographiæ Vindex, ſacrarum inprimis, ac in omni doctrinarum ſtudio, ut immortalia ejus teſtantur ingenij monumenta, Vir Clariſſ. Civitatis hujus Sangallenſis, ut ſumma prudentia, ita pari quoque humanitate Conſul vigilantiſſimus: qui cùm unius Chriſti gloriæ patriæque ſalutis ſtudioſiſſimus eſſet, cui ne moriturus quidem ſe defuturum declararet, primus librorum ſuorum omnium pro Pub. conſtituenda Bibliotheca Remp. Sangallenſem hæredem ſcripſit. Senatus igitur Prudentia, fide & eximia in pia ſtudia liberalitate, pulcherrimo huic ornamento conſervando, ac cottidie magis ac magis illuſtrium virorum ſcriptis locupletandò, hic locus dicatus eſt. Proinde veſtrum erit, optimi Cives, ad inſtitutum & exemplum teſtatoris veſtra ſtudia componere: ijsque bonis grato animo frui: in quibus tam feliciter vir hic ornatiſſimus verſatus eſt. Mortuus VIII. ID. Aprilis. Anno M. D. LI. Ætatis ſuæ LXVI. Conſul VIII.

Bibliotheca Veneta.

BEſſarionis Cardin. ex leg. Senatus juſſu, Procuratorum D. Marci cura, Philippi Trano, Antonij Capillo, Andreæ Leono, Victoris Grimano,

mano, Joannis à Lege Equ. Bibliotheca inſtructa & erecta. M. Anton. Triviſano Principe ab urbe condita M. C. XXXIII.

Bononiæ, ad S. Dominici, in Bibliotheca.

DIcta fui Bologna prius: nunc Julia dicor
Bibliotheca, ſacris ædibus hîc poſita.
Maximus huc veniens paſtorum, Maximus ille
Julius, hoc nomen præbuit ipſe mihi.

Bibliothecæ alterius.

HIc vivunt homines ſuperſtites ſibi,
Hic loquuntur & tacent,
Hic audiuntur & ſilent,
Hic interrogantur, & muti reſpondent.

Petrus Labbè.

AREOLA X.
INSCRIPTIONES MUSÆORUM.

Roſtochij.

HOc ego Muſæum precibus ſtudiiſque dicatum
Extruxi, ut parvum me quoque parva decent.
Optime Chriſte fave ſtudio noſtroque labori,
Me rege præſidio conſiliiſque tuis.

Fac nihil hic mediter, ſcribam, dicámve, legámve,
Quod non & laudi ſerviat omne tuæ.

Francofurti ad Viadrum.

PArva quidē dom⁹ eſt, ſed in hac habitante Sabino,
Calliope ſedem gaudet habere ſuam.

Ad introeuntem Muſæum Paræneſis.

ISte novem Muſis locus eſt & Apolline dignus,
Eſt ſacer & Nymphis, gratia blanda, tuis.
Hic ſua Pierides ſubtili carmina voce
Dictant, argutam & tangit Apollo chelim.
Fatibus ingenij hic enixis vivere multos
Cernis, qui effugiunt per ſua ſcripta rogos.
Quisque ſuæ mentis promit pro viribus artes,
Percupidus vitæ extendere geſta ſuæ.
Aſpicis & longo poſitos ex ordine libros,
Materiámque ſuam quodque tuetur opus.
Hic blandis elegis, grandi canit ille cothurno,
Eſt qui Mæonio carmina more facit.
Sunt quoque qui pedibus gaudent ſermone ſoluto
Scribere, & eloquio fundere verba gravi.
Par ſtudium eſt cunctis, magna eſt præſtantia ſcripti,
Et celebres hominum cuncta per ora volant.
Eſto memor, quicumque hoſpes pede limina tranſis,
Perque ſacrum Muſis íſque redísque locum,
(Ulla tibi Aonidum ſi ſit reverentia cœtus,
Musáque ſi ſtudijs haud aliena tuis)
Non hic laſcivo greſſu, ſalibúsque inhoneſtis
Obſtrepere, aut multa garrulitate loqui.

Muſæi Joannis Oporini.

QUiſquis es, rogat te Oporinus etiam atque etiam: ut ſiquid eſt, quod à ſe velis; perpaucis agas: deinde actutum abeas: niſi tanquam Hercules defeſſo Atlante veneris ſuppoſiturus humeros. Semper enim erit, quod & tu agas; & quotquot huc attulerint pedes.

Muſæi Moneviani.

Uratislaviæ.

DOmino Deo noſtro Jeſu Chriſto, unico regni Sanctorum hæredi; perenni vitæ fonti: triumphanti mortis victori; æterno animarum hoſpiti, ſacr.

Summa in his terris tum ſapientia, tum felicitas eſt, poſſe quieſcere, ac ſua potiùs agere & propria, quàm aliena. Deinde utraque fortuna, & ſive ſit agendum, ſive patiendum, in Deum potiùs, quàm in homines reſpicere, & ab eo ſolo pendére. Mortem denique ſuam perpetuò ſic meditari, ut peccatum potiùs fugiatur, quàm illa nimis metuatur. Mundum prætereà, quæque ſunt illius, deſpicere ſimul & odiſſe. De vita perpetua magis, quàm de hac fragili & caduca ſollicitum eſſe: Animæque curam gerere majorem, quàm corporis, & ita ſeſe comparare, ut anima priùs læta lubénsque hinc in cælos volare cupiat, quàm è tabernaculo ſuo evocetur.

AREOLA XI.

INSCRIPTIONES OBELISCORUM.

In Obeliſco areæ S. Petri Romæ, ad pedem ejusdem;

SI lapis eſt unus, dic quâ fuit arte locatus?
Quodſi ſint plures, dic ubi congeries?

ROMÆ

Obeliſci Pamphilij Inſcriptiones.

Ex parte Orientali.

INNOCENTIUS X. P. M.
Obeliſco Ægyptio Quaternis fontibus
Ex aqua Virgine deductis impoſito
Natali domo Pamphilia majorem in
Amplitudinem extructa
Agonale Forum amplificatum exornavit
Urbi Romæ Majeſtatem antiquæ
Pulchritudinis æmulam
Reſtituit.

Ex parte Meridionali.

Hermeticum Obeliſcum
A Sothi Rege Heliopoli erectum
Ab Imperatore Caracalla Romam delatum
Inter Circi Caſtrenſis rudera
Jacentem fractúmque

Inno-

Innocentius X. P. M.
Ad ornandum eruditis Ægyptiorum
Myſterijs Aquæ Virginis Fontem
Tranſtulit, inſtauravit, erexit.
Ex parte occidentali.
Innocentius X. P. M.
Amænam ſalubritatem cum magnifica
Eruditione conjungens
Litteratum Hermeticis Ænigmatis lapidem
Aquæ Virginis Fonti impoſuit
Ad ſedandam corporum
Et acuendam Ingeniorum
Sitim.
In Septentrionali parte.
Super Monſtra Ægyptia aurea
Inſidet Columba
Hoc eſt ſuperſtitioſas ſectas vera
Calcat Religio
Quæ pacis oleam geſtant
Virtutum Lilijs redimita
Obeliſcum pro Trophæo ſibi ſtatuens
Romæ triumphat.

In Cippo Obeliſci Conſtantiani: Romæ.

Pars Auſtralis.

Patris opus munúsque ſuum tibi Roma dicavit
Auguſtus toto Conſtantius orbe recepto
Et quod nulla tulit tellus nec viderat ætas
Condidit ut claris exæquet dona triumphis
Hoc decus ornatum Genitor cognominis urbis
Eſſe volens cæſa Thebis de rupe revellit.

Pars Orientalis.

Sed gravior Divum tangebat cura vehendi
Quod nullo ingenio niſuque manúque moveri
Caucaſeam molem diſcurrens fama moneret.
At dominus mundi Conſtantius omine fretus
Cedere virtuti terris incedere juſſit
Haud partem exiguam montis pontéque tumenti.

Pars Septentrionalis.

Credidit & placido vecta eſt velocius Euro
Littus ad Heſperium populo mirante carina.
Interea Romam Taporo vaſtante tyranno
Auguſti jacuit donum ſtudiúmque locandi
Non faſtu ſpreti ſed quod non crederet ullus
Tantæ molis opus ſuperas conſurgere in auras.

Pars occidentalis.

Nunc veluti rurſus rufis avulſa metallis
Emicuit pulſátque polos hæc gloria dudum
Auctori ſervata ſuo cum cæde tyranni
Redditur atque aditu Romæ virtute reperto
Victor ovans urbíque locat ſublime trophæum
Principis & munus condignis uſque triumphis.

In Baſe ſeu cippo:

Imp. Cæſar Divi F.
Auguſtus
Pontifex Maximus
Imp. XII. Coſ. XI. Trib. Pot. XIV.
Ægypto in poteſtatem
Populi Romani redacta
Soli donum dedit.

Obeliſci Vaticani inſcriptio:

In ſuperiori primum parte ab occiduo latere, qui nempe Baſilicæ Principis Apoſtolorum opponitur, ſic habet:

SAnctiſſimæ Cruci Sixtus V. Pont. Max. ſacravit è priori ſede avulſum, & Cæſ. Aug. ac Tib. I. L. Albatum. M. D. LXXXVI.

In eodem latere in cippo, ſeu baſi, quâ Obeliſcus ſuſtinetur.

CHriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Chriſtus ab omni malo plebem ſuam defendat.

In eo latere, quod meridiem ſpectat.

SIxtus V. Pont. Max. Obeliſcum Vaticanum Dis gentium impio cultu dicatum ad Apoſtolorum limina operoſo labore tranſtulit. Anno M. D. LXXXVI.

In eo, quod ad orientem vergit.

ECce crux Domini, fugite Partes adverſæ, vicit Leo de Tribu Juda.

In ea parte, quæ Septentrioni opponitur.

SIxtus V. Pont. Max. Cruci invictæ obeliſcum Vaticanum ab impura ſuperſtitione expiatum juſtius & felicius conſecravit Anno M. D. LXXXVI. Pont. II.

Inferius verò minoribus litteris, ſic habet.

DOminicus Fontana ex pago Mili agri Novocomenſis tranſtulit & erexit.

Obeliſci S. Mariæ Majoris in exquilijs.
In eo latere, quod orientem, ſeu Eccleſiam ipſam ſpectat, ſic habet:

CHriſtus per invictam crucem populo pacem præbeat, Qui Auguſti pace in præſepi naſci voluit.

In eo verò quod meridiem verſus

SIxtus V. Pont. Max. obeliſcum Ægypto advectum, Auguſto in ejus Mauſoleo dicatum, everſum deinde ac in plures confractum partes, in via ad ſanctum Rochum jacentem, in priſtinam faciem reſtitutum ſalutiferæ Cruci feliciùs erigi juſſit, anno Domini M. D. LXXXVII. Pont. III.

In latere Occidentis viam felicem verſus, hæc leguntur.

CHriſtum Dominum, quem Auguſtus de Virgine naſciturum vivens adoravit, ſeque deinceps Dominum dici vetuit, Adoro.

Ea verò quæ ſeptentrionalem plagam, ac aggerem Tarquinij, & ſuburbanum Pontificis ſpectant, hæc ſunt, in perſona ipſius Obeliſci.

CHriſti Dei in æternum viventis cunabula lætiſſimè colo, qui mortui ſepulchro Auguſti triſtis ſerviebam.

Obeli-

Obeliſcus Ranzovianus Segebergenſis altus pedes 52. $\frac{1}{2}$

Ad Ortum.

SAnctæ & individuæ Trinitatis honori: nec non in Friderici II. Regis Daniæ, ac progenitorum, poſterorúmque ſuorum memoriam, Hunc Obeliſcum ſtatui curavit Henricus Ranzovius.

Ab orbis principio 5552.
A Chriſto nato 1590.
Ætatis anno 65.

InTinntinabula è corona Obeliſci dependentia.

HOc diadema ſonum ut ventis ſpirantibus edit;
Sic tua laus nuſquam Rex Friderice ſilet.

Ad Occaſum.

PRo meritis, Friderice, tuis, Rex optime Regum,
Hæc monumenta tibi dedico, ſacro, ſtruo.
O utinam majora mihi præſtare liceret,
Hoc totus ſtares aureus ipſe loco.

Ad Meridiem.

QUem regi & vobis Obeliſcum dedico, nati,
Ad virtutis iter nobile, calcar erit.
Cæterúmque indicium, quærendas æthere ſedes,
Et nihil in terris certius eſſe nece.

Ad ſeptentrionem.

HIs viſis, lectis, placidè diſcede viator,
Cunctáque ſtructori fauſta precare meo.

Per-

Perpetuò infelix & deteſtabilis eſto,
Qui ſacrum in minimis hoc violabit opus,

In eundem Obeliſcum.

INſiſtit terræ, caput inter nubila condit,
Aereas penetrans en Obeliſcus aquas.
Quo ſe Ranzovius, Cimbrorum gloria gentis,
Et terra ad ſuperos hac quaſi voce vocat,
O mea mens ſurſum, quem tendis, dirige curſum.
Mens oblita ſoli, ſuſpice regna poli.
Optima pars mundi cœlum eſt, pars peſſima tellus,
Tellurem ô liceat linquere, & aſtra ſequi!
Quiſquis es, hæc imitare ſenis pia vota beati,
Hic tibi nec viſus fruſtra obeliſcus erit.

Nathan Chytræus.

AREOLA XII.

INSCRIPTIONES COLUMNARUM, ET PYRAMIDUM.

In *Baſi Columnæ Trajani. Romæ.*

SENATUS POPULUSQUE ROMANUS IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ NEPOTI TRAJANO AUG. GERM. DACICO. PONTIF. MAXIMO TRIB. POT. XVII. IMP. COS. VI, PP. AD DECLARANDUM QUANTÆ ALTITUDINIS MONS ET LOCUS TANTIS EX COLLIBUS SIT EGESTUS.

Pariſiis ante Parlamenti Palatium Pyramis videtur, ad cujus latera, in marmor nigrum aureis litteris inciſa leguntur:

I. Senten ia parlamenti, de Caſtello parricidâ lata, vulgari idiomate Gallico.

II. Quod ſacrum votúmque ſit memoriæ, perennitati, longævitati, ſalutíque, maximi, fortiſſimi, & clementiſſimi Principis Henrici IV. Galliæ & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi.

Audi viator, ſive ſis extraneus,
Sive incola urbis, cui Paris nomen dedit;
Hic alta quæ ſto Pyramis, domus fui
Caſtella, ſed quam diruendam funditus
Frequens ſenatus crimen ultus cenſuit;
Huc me redegit tandem herilis filius,
Inceſtus. & mox parricida in Principem,
Qui nuper urbem perditam ſervaverat,
Et qui favente ſæpe victor Numine
Deflexit ictum audaculi ſicarij,
Punctúſque tantum eſt dentium ſepto tenus.
Abi viator, plura me vetat loqui
Noſtræ ſtupendum Civitatis dedecus.

In Pyramidem eandem.

QUæ trahit à puro, ſua nomina, Pyramis, igne
Ardua barbaricas olim decoraverat urbes,
Nunc decori non eſt, ſed criminis ara piatrix,
Omnia nam flammis pariter purgantur & undis,

Hic

Hic tamen eſſe pius monumentum inſigne ſenatus;
Principis incolumis ſtatuit, quo ſoſpite, caſum
Nec metuet pietas, nec res grave publica damnum.

III. *D. O. M.*

PRo ſalute Heinrici IV. Clementiſſimi ac fortiſſimi Regis, quem nefandus parricida, pernicioſſ. factionis hæreſi peſtifera imbutus; quæ nuper abominandis ſceleribus, pietatis nomen obtendens, unctos domini, viváſque Majeſtatis ipſius imagines occidere populariter docuit; dum confodere tentat, cæleſti numine ſceleſtam manum inhibente; cultro in labrum ſuperius delato, & dentium occurſu feliciter retuſo, violare auſus eſt; Ordo ampliſſimus, ut vel conatus tam nefarij pœnæ terror, ſimul & præſtantiſſimi, in Opt. Principem ac regnum; cujus ſalus, in ejus ſalute poſita eſt; divini favoris apud poſteros memoria extaret, monſtro illo admiſſis equis membratim diſcerpto, & flammis ultricibus conſumpto, ædes etiam, unde prodierat; hic ſitas; funditus evehi, & in earum locum, ſalutis omnium ac gloriæ ſignum erigi decrevit IV. Non. Januar. Anno Chriſti M. D. XCV.

Ex S. C.

Heic domus immani quondam fuit hoſpita monſtro;
Crux ubi nunc celſum tollit in aſtra caput.
Sancijt in miſeros pœnam hanc ſacer ordo penates,
Regibus ut ſcires ſanctius eſſe nihil.

Bono-

Bononiæ in Templo S. Franciſci.

DEo Trino & uni. Pyramidem vetuſtate corruptam, quam Albertus genitori ſuo Odofredo legum parenti, anno ſalutis M. CC. LXV. poſuerat: Laurentius Odofredus, Dominici Odofredi poſterioris filius, Albertius trinepos, ſuâ impenſâ in meliorem formam opere & cultu ſplendidiore reſtituit. Anno gratiæ M. CCCC. XCVII. Cal. Sept.

Anno 1624. Cùm Carolus Walliæ Princeps poſt pactas cum Maria Infante Hiſp. nuptias, Hiſpaniâ abſcederet, Columna à Philippo IV. poſita erat primo ab urbe milliari, quo loco disjuncti invicem Principes: illuſtrabat opus regium inſcriptio in hæc verba:

Hic ubi fauſtâ ſors tulit ad prærupti montis radices in latè patenti campulo, ſolenni Regum venatione nobili, ſed inſolentis rei eventu longè nobiliore.

PHilippus Quartus Hiſpaniarum, Indiarúmque Rex Catholicus, & Carolus ſereniſſimus Walliæ Princeps; pactis cùm Maria ſereniſſima Infante nuptijs, ad quas petendas (I fama per orbem.) in Hiſperiam properarat, dextras dederunt; & in amplexus peramanter ruentes, pacis & amicitiæ æterna fœdera nodo aſtrinxerunt Herculeo. O Magnum, & invictum Regum par ſine pari! nullus me Hercule, Hercules contra duos, ipſi potius contra omnes (perfidia

fidia frendente.) duo Alcidæ ſolo, ſalóque inſuperabiles. Siſte fama, non plus ultra.

Viderunt, ſuſpexerunt, ſtupuerunt duo Auſtriacæ ſobolis incrementa maxima, Carolus & Ferdinandus Sereniſſimi Infantes, Caſpar Olivariorum Excel. Comes, à belli, ſtatúſque Conſilijs, ſacri cubiculi, ac Regij ſtabuli ſummus Præfectus, Didacus Carpentis Marchio, cui fas terere ſacratioris Aulæ limen. Ex Britannis Heroibus, Joannes Comes Briſtolius Orator extra ordinem, Guillelmus Aſtonius Legatus ex munere, Baro Kenſingtonins Prætorianæ militiæ Britannicæ Princeps.

POSTERITATI SACRUM.

Barth. Gramond.

Arelate inſcriptio Columnæ, in ædibus Matronæ Vallenſis.

SALVIS DD. NN.
THEODOSIO. ET
VALENTINIANO
P. F. V. ACTRIUM.
SEMPER AUG. XV.
CONS. VIR. INL.
AUXILIARIS PRÆ.
PRÆTO. GALLIA.
DE ARELATE MA-
MILLARIA PONI. S.
M. P. I.

Quam ſic interpretandam arbitratur Iſacius: Salvis Dñis noſtris Theodoſ. & Valentiniano pijs, feli-

felicibus, victoribus ac triumphatoribus ſemper Auguſtis, decimum quintum Conſulibus, viris illuſtribus auxiliaris præfectura prætorium Galliarum de Arelate Mamillaria (*ſic enim ſcriptum fuiſſe retur*) poni ſupra mille paſſus juſſit.

Bruxellis ad Palatium Spinolanum Pyramis è marmore conſpicitur, ab Inquiſitoribus poſita, cum hac inſcriptione:

REgnante Philippo II. Cathol. Hiſpan. Rege; in his ſuis inferioris Germaniæ regionibus gubernante verò Ferdinando Alvarez de Toledo, Alvæ Duce &c. Florentij de Pallant Comitis Culenburg quondam domum ſolo æquari ſancitum eſt, ob execrandam memoriam repetitæ in ea Conjurationis adverſus religionem Eccleſ. Cathol. Rom. Regiam Majeſtatem, & ipſasregiones. Anno à ſalut. CIↃ. IↃ. LXVIII. quinto Calend. Junij.

Burdigalæ.

CLemente VIII. Reip. Chriſtianæ immenſam molem ſuſtinente, Errico IV. Gal. & Nav. Rege poſt ſuum ad avita ſacra quaſi poſtlimio reditum, Jac. Mantignono Fr. Mareſcallo in Aqui. prout vices Regis obtinente Flor. Ræmundus Semburd. hanc teretem porphyretici marmoris columnam baſi oſtriatæ ac ritu jocoſo tripudiantes veterum Deos referenti ſuperpoſitam, & adjecto familiæ Remundiæ gentilitio ſtemmate in avitum acumen faſtigiatam; ut ſa-

cras venerandæ antiquitatis reliquias, è ſitu & pulvere in lucem reponi curavit, An. 1594.

Pons Ligeri in Gallia Pyramidem habet, cum inſcriptione.

De caſu Pyramidis in crepidine pontis Bloeſenſis erectæ, incolumi manente coronâ ad baſim poſitâ. Anno cIↃ. IↃXCIII. Menſ. Auguſto.

Pyramis excelſo ſtabat quæ margine pontis
Sacra coronatâ Lilia fronte gerens,
Dum levis audaci pertentat culmine cælum,
Nocturno venti turbine quaſſa ruit.
Non tamen illa ſacram peſtis violare coronam,
Aut Francos flores polluere auſa fuit,
Quippe & tela Jovis Regalia ſigna verentur,
Hæcque ſub Henrici numine tuta manent.

Pio, Merito, felici, triumphatori, Auguſto, Henrico Galliæ & Navar. Regi, populus & magiſtratus Bloeſenſis DD. N. Chauvet præpoſitus urbis verſus panxit.

Pictavia Columna mediâ ferè urbe erecta hanc habet inſcriptionem:

DIVO HILARIO, URBIS PROPUGNATORI FIDELISSIMO, ASSIDUISSIMO, CERTISSIMO, PICTAVORUM EPISCOPO.

Romæ ad S. Paulum in Cæmeterio erectæ Columnæ in baſi:

Hanc ſacris veteres facibus ſtatuere columnam,
Quam Caſinenſis reſtituere cruci.

In

In baſi ejusdem ex altera parte.

Olim ignes, nunc clara Dei vexilla triumphum
Devictæ mortis Symbola pacis habent.

In Circulo prope baſim ejusdem.

Arbor poma gerit, arbor ego lumina geſto,
Porto libamina, nuntio gaudia ſed die feſto
Surrexit Chriſtus nam talia munera præſto.

A Ravenna duobus milliaribus quadrangularis erecta eſt Columna; in cujus lateribus ſingulis binæ inſcriptiones leguntur, una in Columnæ medio, altera in ejusdem baſi.

1. *Latus.*

Heu cladem horrendam! hic ille percelebris ager eſt, Viator, in quo acerrimè utrinque eſt pugnatum. Viginti hominum millia conciderunt.

Hâc Petrâ Petrus donat Donatus Iberos,
Gallóſque hîc cæſos, Cæſius hæc memorans.

2. *Latus.*

Heus Viator, trans flumen caſtrametatus olim Gaſto Foiſeus Gallorum Ductor Ravennam expugnat, murum aperit tormentis, & conatur irrumpere.

Videbis hoſpes huc parum attollens caput,
Inſcriptus iſte quid velit lapis ſibi,
Reſervet illam nempe cladem maximam
Galli atque Iberi exercitûs, Æmiliam,
Quæ penè totam maculavit ſanguine.

3. *Latus.*

Hinc poſt cruentam Gallorum victoriam Gaſtone perempto Hiſpanorum reliquiæ evaſerunt. Poſtremò capitur Ravenna à Victoribus & diripitur, abi.

Geſta fuerunt hæc prid. Idus Aprilis annoà partu Virginis ſupra ſeſqui milleſimo Imperante Julio Secundo Pontifice Maximo Chriſtianorum Rempublicam gubernante.

4. *Latus.*

Rejectꝰ ab Oppidanis amnē illac trajicit, acies inſtructas huc ducit, & pro Rege Hiſpano Pontificióque Exercitu indicto bello confligit. Paulo IV. Pont. Max. ſedente P. Donatus Caeſius Epiſcopus Narnienſis utr. ſig. Ref. dum Æmiliæ præſideret, locúmque hunc conflictus Ravennatis celebritate clarum diligenter exploràſſet, ne tantæ rei memoriam vetuſtas temporum aboleret, hoc erecto marmore conſervatam curavit.

Cluniæ in Hiſpania hæc inſcriptio in nobili Columna legitur:

DIOCLETIANUS JOVIUS, MAXIMIANUS HERCULEUS CÆSS. AUGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCID. IMPERIO ROM. ET NOMINE CHRISTIANORUM DELETO, QUI REMP. EVERTEBANT.

Ibidem altera inſcriptio hæc habet:

DIOCLETIAN. CÆS. AUG. GALLERIO IN

INORIENTE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQUE DELETA, CULTU DEORUM PROPAGATO.

Leguntur etiam Arevaci in Columnis pluribus.

Monimentum Pilæ inciſum Tertio ab urbe Taurino lapide, ob Principis Sabaudi infortunium.

Lege Viator,
Et quid uſpiam ſecutum ſit, diſce.
Anno M. DC LXIII. Die XV. Septembris,
Dum Sylvoſa per hæc avia ab ſuis devius
Carolus Emanuel II. Sabaudiæ Dux,
Otium ut fugiat, cervum ſequitur;
Trigeſimo ab hinc paſſu, Duriam verſus,
Abſtruſam in voraginem, fallacibus contectam dumis,
Præcipiti lapſu cum Equo proruit,
Aquis demerſus, & cæmentito incluſus cuniculo,
Qui ſublabentem rivum in Duriam devolvit;
Genibus reptans ſimúlque reptantem Equum trahens,
Cæco è gurguſtio, rapidum in flumen illabitur:
Et ſemper ſibi conſtans, ſemper impavidus,
Gemino ex naufragio emergit incolumnis.
Hic ergo, inter luctum & gaudium perplexa
Mater Chriſtiana à Francia,
Clementiſſimæ Chriſti Matri Torquatorum Numini;
Sancto Euſtachio Venatorum Auſpici;

Et beato Amedeo Regiæ domus Patrono,
Cariſſimi filij ſalutem referens,
Temporarium hoc documentum, digniori præ-
vium erigi juſſit.

Emmanuel Theſaurus.

Columnæ S. Petro erectæ. Romæ.

Sixtus V. B. Petro Apoſt.
Pont. An. III.

UT vinclis tenuit Petrum, ſic alta columna
Suſtinet, hinc decus eſt, dedecus unde fuit.

Alia.

QUam quondam poſuêre patres, populúsque co-
lumnam
Trajano, ob victos, pectora ſæva, Getas.
Hanc Xyſti pietas quinti ter maxima ſanctis
Subjecit pedibus, Petre beate, tuis.
Ut quæ Barbaricis urbem teſtata potentem eſt,
Gentibus impoſito colla gravaſſe jugo;
Hæc eadem parêre tibi teſtetur & urbem,
Terrarum & quicquid maximus orbis habet.

Angelus Bargeus.

Columnæ S. Pauli. *Romæ.*

SIXTUS V. PONT. MAX.
COLUMNAM HANC
AB OMNI IMPIETATE
EXPURGATAM
S. PAULO APOSTOLO.
ÆNEA EJUS STATUA INAURATA
IN SUMMO VERTICE POSITA. D.D.
AN. M.D.LXXXIX. PONT. IV.

Ex

Ex altero latere.

TRIUMPHALIS
ET CLARA NUNC SUNT
CHRISTI VERE PIUM
DISCIPULUM FERENS
QUI PER CRUCIS
PRÆDICATIONEM
DE ROMANIS BARBARISQUE
TRIUMPHAVIT.

Jure Antoninum Paulo vis Sixte ſubeſſe:
Nam verè hic pius eſt, impius ille Pius.

Alia ejusdem inſcriptio.

QUæ Cochlidis mores nolis operaſa columnā
Oſtentat validā bella peracta manu.
Atque Antonini, poſt regna everſa Quiritum,
Servat in inciſo marmore facta Pij.
Maximus hæc ſubter pedibus premit omnia Paulus,
Armatus libro Paulus, & enſe manum.
Xyſtus enim quintus ſtatui iſthic juſſit, ad omnes
Clamet ut ex alto, conſpicuóque loco.
Et vita inſonti, & doctrina, & fortibus auſis
Barbara ſunt Latio colla premenda jugo.

Angelus Bargeus.

Columnæ Romæ in Exquilini montis areâ Reginæ Cælorum à Paulo V. erectæ inſcriptio:

PAulus V. Pontifex Max. columnam veteris magnificentiæ monumentum, informi ſitu

obductam, neglectámq; , ex immanibus templi ruinis, quod Veſpaſianus Auguſtus acto de Judæis triumpho, & reipublicæ ſtatu confirmato, Paci dicaverat, in hanc ſplendidiſſimam ſedem, ac Baſilicæ Liberianæ decorē augendum, ſuo juſſu exportatam, & priſtino nitori reſtitutam, beatiſſimæ Virgini, ex cujus viſceribus Princeps veræ pacis genitus eſt, donum dedit, Æneámque ejusdem Virginis ſtatuam faſtigio impoſuit. Anno ſalutis M. DC. XIV. Pontif. IX.

Antonius Quærengus V. S. R. lateribus ejusdem Baſis Jambos addidit.

Averſo à Baſilica.

IGnis columna prætulit lumen Viis
Deſerta noctu ut permearent invia
Securis ad arces hæc recludit igneas
Monſtrante ab alta ſede collem Virgine.

Dextro.

IMpura falſi templa quondam Numinis
Jubente mœſta ſuſtinebam Cæſare,
Nunc læta veri perferens Matrem DEI
Te Paule nullis obticebo ſæculis.

Siniſtro.

VAſta columna mole quæ ſtetit diu
Pacis profana in æde, Paulus tranſtulit
In Exquilinum Quintus, & ſanctiſſimæ,
Pax unde vera eſt, dedicavit Virgini.

Ad Columnam milliariam. Romæ.

S. P. Q. R. Columnam milliariam primi ab urbe lapidis indicem ab Impp. Veſpaſiano

&

& Nerva reſtitutam, de ruinis ſuburbanis viæ Appiæ in capitolium tranſtulit.

Inſcriptio Columnæ Ultrajecti in ſummo Templo.

Accipe poſteritas, quæ poſt tua ſæcula narres,
Taurinis cutibus fundo ſolidata columna eſt.

AREOLA XIII.
STATUARUM ET IMAGINUM INSCRIPTIONES.

Romæ ad Statuam Sixti V. Pont. hæc leguntur:

Sixto V. Pont. Max.
ob quietem publicam
Compreſsâ Sicariorum Exulúmque licentiâ,
reſtitutam annonæ inopiam,
ſublevatam urbem,
Ædificijs, vijs, aquæ ductibus illuſtratam.
S. P. Q. R.

Patavij ſub ſtatua antiqua T. Livij.

Oſſa tuúmque caput cives tibi maxime Livi,
Prompto animo hic omnes compoſuêre tui.

Tu famam æternam Romæ, patriæque dediſti;
Huic oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria hæc, & ſi majora liceret,
Hoc totus ſtares aureus ipſe loco.

T. Livius IV. Imp. Tiber. anno exceſſit, ætatis ſuæ LXXVI.

Romæ in foro Trajani.

ANnio Paulino Jun. Procos. Aſiæ & Helleſponti Coſ. Ordinario Præfec. urbi vice ſacra judicanti ob meritum nobilitatis eloquij juſtitiæ atque cenſuræ qui privatim & publicè clarus eſt petitu Po. Rom. teſtimonio Senatus judicio DD. NN. Triumphatorum Augg. Cæſarúmque ſtatuam ſecundam auro perfuſam locari ſumptu publico placuit.

Ibidem.

CLaudio Claudiano V. C. Tribuno & Notar. inter cæteras ingentes artes prægloriosiſſ. Poëtarum. Licet ad memoriam ſempiternam carmina ab eodem ſcripta ſufficiant: attamen teſtimonij gratia ob judicij ſui fidem DD. NN. Arcadius & Honorius feliciſſ. ac doctiſſimi Impp. ſenatu petente, ſtatuam in foro divi Trajani erigi collocaríque juſſerunt.

Ibidem ad ſtatuam quandam Deiparæ.

Virginitas, partus, diſcordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Ibidem

Ibidem ad imaginem Chriſti.

Sanguine quæſiſti Cœlum, nos Tartara culpis,
Fac meritis cedant crimina noſtra tuis.

Pariſijs.

Effigiem Chriſti dum tranſis ſemper honora,
Non tamen effigiem, ſed quem deſignat, adora,
Nam Deus eſt, quod imago docet; ſed non Deus ipſa:
Hanc videas, & mente colas quod cernis in illa.

Romæ ad Antonini Imp. ſtatuam equeſtrem, in area capitolij.

PAulus III. P. M. ſtatuam æneam equeſtrem à S. P. Q. R. M. Antonino Pio etiam tum viventi ſtatutam, varijs dein urbis caſibus everſam, & à Sixto IV. P. M. ad Lateranenſem Baſilicam repoſitam, ut memoriæ optimi Principis conſuleret, patriæque decora atque ornamenta reſtitueret, ex humiliori loco in aream Capitolinam tranſtulit atque dicavit. M. D. XXXVIII.

Ad ſtatuam marmoream Leonis X. Romæ in Palatio Capitolino.

OPtimo Principi Leoni X. Med. Pontif. Max. ob inſtitutam reſtauratámque urbem, aucta ſacra, bonáſque artes, adſcitos Patres, ſublatum vectigal, datum Congiarium, S. P. Q. R. Poſ.

Mulier marmorea. Neapoli.

Quid me miraris dura de marmore factam?
Reſpice te potius, vermibus eſca manes.

Venetijs.

LEonhardum Pratum, militem fortiſſimum, & ex provocatione ſemper victorem, Præfectum Ferdinandi junioris, & Federici Regum Neapolitanorum, ob virtutem terreſtribus, navalibúſque prælijs feliciſſimum, magnis clariſſimiſque rebus pro Veneta Repub. geſtis, pugnantem ab hoſte cæſum, Leonhardus Lauredanus Princeps, & ampliſſimus ordo Senatorius, prudentiæ & fortitudinis ergò ſtatua hac equeſtri donandum cenſuit.

Florentiæ in palatio Ducis, ſtatua eſt antiqua Appij Claudij, inventa Aretij, cum tali inſcriptione:

APpius Claudius C. F. Cæcus, Cenſor, Coſ. bis Dictator, Interrex III. Pr. Æd. Cur. II. Q. Tri. Mil. III. Complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum & Tuſcorum exercitum fudit, pacem fieri cum Pyrrho rege prohibuit, in Cenſura viam Appiam ſtravit: & aquam in urbem adduxit, ædem Bellonæ fecit.

Tarviſij.

AVrelij Augurelli imago eſt quam vides,
Uni vacantis litterarum ſerio
Studio, & jocoſo, diſpari curâ tamen;
Hoc, ut vegetior ſic fieret ad ſeria:
Illo, ut jocoſis uteretur firmior.

In

In Prætorio Senenſi ad imagines Julij Cæ-ſaris & Cn. Pompeij.

HOs pietate viros animis infigite cives,
Publica concordi nam ſunt bona mente ſecuti ;
Majeſtas Romana Duces tremeſecit, & orbem :
Ambitio ſed cœca duos ubi traxit ad arma,
Libertas Romana ruit, ſciſsóque ſenatu,
Heu! licet & puero caput alta aſcendere Romæ.

Roma in D. Baſilij.

P. Vettio. Perpetuo. arzygo. V. C. Conſulari. Tuſciæ. & Umbriæ. ob. ſingularia. Ejus. erga. Provinciales. beneficia. &. ob. moderationem. pro. documento. Et. jam. poſteris. relinquendam. æternam. ſtatuæ. monumentum. Tuſci. &. Umbri. Patrono. præſtantiſſ. Conl. ær. P.

Romæ.

Q. Egnatulo. Q. F. equo. Pub. don. ab Ælio. Hadriano Cæſ. Nervæ. Trajani. F. Rhodenſes ob. plurimam. liberalit. Et. multa. in. remp. S. Benefac. equeſtr. è marmore, ſtatuam. pro æde Minervæ conſtituêre.

Barcinona.

CRaſſo. juniori. M. Craſſi. Filio. patria. Labethanorum. ſervata. Quæ. jure. belli. mi. liti. in. prædam. danda. erant. populi. Labethani. virtute. magn. viri. ſervati ſtatuam. ei. in ære. auratam. in. auditu. templi. Deæ. Bellonæ. poſuêre.

Mocha in Luſitania.

CEretani. bello. victi. & virtute. M. Pompeij. ſervati. ei. ſtatuam. equeſtrem. ex. ære. aurato. cum. ſempiterna. patriæ. obſervantia. in medio. foro. poſuêre.

Sutri in Hetruria.

C. Lepidio C. F. Pop. victori. II. viro. jure. dic. Cur. Pec. Publ. & operum publicorum. Quibus ex fide. refectis. ob. merita. ejus. decuriones & Auguſt. & populus. ſtatuam. ponendam. ex. ære. conlato. decreverunt. Qui. honore. contentus. ex. ſuo. poſuit. & conlationem. reddidit.

Tarracone.

M. Fabio, M. F. Gal. Paulino. equo. Pub. donato. Ab. Imp. Cæſ. Hadriano. Aug. Ilerdenſes. Civi. optimo. ob. plurimas liberalitat. in. rempublicam. ſuam. loco. à. Provincia. impetrato. poſuerunt. D. D. Q.

Ad Statuas ſeu Imagines Planetarum.

ROMÆ.

Saturni.

Cùm ſolus rapiat fugientibus omnia ſæclis,
Cur tamen hunc virtus temnere ſola poteſt?

Jovis.

Tela, ſuóſque Jovi volucris portavit amores:
Nec manus hæc ſemper fulmina ſæva jacit.

Martis.

Mars & Relligio jure hic ſua regna locarunt!
Quam bene Roma colit, tam bene bella gerit.

Apollinis.

Qui placitus cantu, & metuendus arundinis ictu es,
Non calamis, ſed nunc utere Phœbe lyrâ.

Veneris.

Exere candidulum riſu Venus aurea dentem,
Ut maria & placidi ſint ſine nube dies.

Mercurij.

Ut jungor, noceo, aut proſum Thegeaticus ales:
Quid facit hoſpitium, ſitne bonum anne malum?

In acie Floræ. Romæ.

MAtthiæ Corvino Hungariæ & Bohemiæ Regi, Pio, felici, ſemper invicto.

Quòd virtute & armis Turcorum impetus fregerit, atque alias bellicoſiſſ. vicerit nationes, ac fuſis fugatíſque ſæpe hoſtibus, inſignibus victoriis triumphos maximos ſit conſecutus: quòd Remp. Chriſtianam felicitate ac ſapientia ſua vel bello vel pace confirmaverit, & Imperatorijs Regiíſque virtutibus Romani generis ſpecimen dederit, ætate noſtra clariſſimum ad cumulum immortalis gloriæ ejus, & veſtri, Quirites, ſanguinis ornamentum.

Baſileæ in Curia ſub ſtatua L. Munatij Planci.

L. Manutij P. F. L. N. L. Pron. Plancus. Coſſ. Cenſ. Imp. ter VII. vir Epulonum, qui triumph. ex Rhætis, Aedem Saturni F. ex manubijs agros diviſit in Italia Benevent. In Galliam Colonias ded. Lugdunum & Rauri-

cum: civitas Baſilienſis, ex bellicoſiſſ. gente Alemannorum in Rauracorum fines transducta; ſimulacrum, ex ſenatus auct. dicandum ſtatuendúmque curavit, Anno ſalutis humanæ LXXX.

Romæ.

Lucio Aur. Aviano Symmacho V. C. Præfecto urbi Conſuli pro Præfectis prætorio in urbe Roma finitimiſque Provincijs Præfecto annonæ urbis Romæ Pontifici majore qui N. decem viro S. F. multis Legationibus Pro ampliſſimi ordinis deſiderijs apud divos Principes functo qui primus in Senatu ſententiam rogare ſolitus auctoritate prudentia atque eloquentia pro dignitate tanti ordinis magnitudinem loci ejus impleverit auro illuſtrem ſtatuam quam à dominis Auguſtiſque noſtris Senatus Ampliſſimus decretis frequentibus impetravit idem Triumphatores Principes noſtri conſtitui adpoſita oratione juſſerunt quæ meritorum ejus ordinem ac ſeriem contineret quorum perenne judicium tanto muneri hoc quoque addid. ut alteram ſtatuam pari ſplendore etiam apud Conſtantinopolim collocaret.

A dextro Latere in Baſi ſtatuæ hæc Verba:

Dedicata III. Kal. Maias. D. N. Gratiano IV. & Merobaude Coſſ.

Piſauri

Piſauri in areâ Palatij *ſtatua eſt ex albo marmore perelegans, cum hac inſcriptione ;*

Franc. Mariæ Duci
Opt.
S. Rom. Eccleſiæ
Florentinæ Reip.
Veneti Senatus
Fœderator. Principum in Turcas
Et ipſius Exercituum Ductori
Victori
Expugnatori
Ditionum Servatori
Domi foriſque
Fr. Maria II. Dux ejus nep.
faciund. C.

Arimini.

L. Pætutio. L. F. Pal. Juriano. Ædili. cur. &. Curulis. i. d. &. plebeia. mandata. & plebs. urbana. ex ære. conlato. ob honorem. ab. eo. integre. &. ſine ambitione. adminiſtrat. E. D.D.D.

Tarracona.

C. Val. Arabino Flaviani F. Bergidof. omnib. hon. in rep. ſua. func. Sacerdoti. Romæ & Aug. P. H. C. ob curam tabulari. cenſualis. fideliter. adminiſt. ſtatuam. inter. flaminales. viros. poſitam. exornandum. univers. cenſuerunt.

Antuerpiæ in Caſtro.

FErdinando. Alvarez. à Toleto. Albæ. Duci. Philippi. II. Hiſpaniarum. Regis apud Bel-

gas. Præfecto. Quod extincta. ſeditione, rebellibus. pulſis, religione. procurata, juſtitia, culta. provincijs. pacem. firmarit, Regis optimi miniſtro. fideliſſimo. poſitum.

Hujus ſtatuæ invidia ingens apud plurimos, etiam Hiſpanos. Unde quidam hæc bina diſticha adpoſuit.

CVr ſtatuam vivo tibi Dux Albane dediſti?
An quia defuncto nemo daturus erat?
Non malè conjectas; neque enim crudelia laudem
Facta tua, infamem ſed meruêre crucem.

Romæ apud Marium Delfinum.

IMp. Cæſ. Traianus Aug. Germ. Dacicus gentem Dacor. & regem Decebalum bello ſuperavit ſub eodem Duce Leg. pro. pr. ab eodem donato haſtis puris IX. vexillis VIII. coronis muralib. II. vallaribus II. claſſicis II. auratis II. leg. Pro P. R. Provinciæ Belgicæ. leg. minerviæ candidato Cæſaris in prætura & in tribunatu Pleb. Quæſtor Provinciæ Achaiæ IV. viro viarum curandarum huic ſenatus auctore Imp. Traiano Aug. Germanico Dacico triumphalia ornamenta decrevit ſtatuamque pecun. public. ponend. cenſuit.

Romæ in Palatio Capitolino.

QUod. Alexander. Farneſius. Parmæ. & Placentiæ. Dux. III. maximo. in. imperio res pro repub. Chriſtiana præclarè. geſſerit. mortem. objerit, Romaniq; nominis gloriam auxerit

S.P.Q.R.

S. P. Q. R.

Honoris. ergò. majorum. morem. ſæculis. multis intermiſſum. revocandum. cenſuit. ſtatuámque. civi. optimo in Capitolio ejus. virtutis. ſuæ. in. illum. voluntatis. teſtimonium.

Ex S. C. P.

Clementis VIII. Pont. Max. An. II. Gabriele. Cæſarino I. V. C. Jacobo, Rubeo. Papirio. Albero. Coſſ. Celſo. Cap. Reg. Priore.

Ibidem.

IO. Franciſco. Aldobrandino. Civi. Romano. belli. æquè. ac pacis artibus. inclito. quòd multis. domi. foriſque præclarè. geſtis. rebus. Italici nominis. gloriam. longè. latéque protulerit.

S. P. Q. R.

Virtutis. ergò, majorum. exemplo. in. Capitolio collocavit.

Anno Salutis M. DC. II. Clementis VIII. Pontificatus undecimo.

In villa Urſinij Auguſt. diœceſ.

IMp. Cæſar. Lucius, Septimius Severus,. Pius Pertinax Aug. Arabicus. Adiab, Parthicus. Maximus. Pontif. max. Trib. Pot. IX. Imp. XII. Cos. II. PP. Procos. & Imp. Cæſar. Marcus. Aurel. Antonin. Pius Aug. Trib. Pot. IV. Procos. & Imp. P. Septim. Geta. Anton. Vias & pontes. reſt. ab Aug. M. P. XXXXI.

Bononiæ.

GREGORIO XIII.

AD ſummum Pontificatum ob maximas virtutes evecto, Reipub. Chriſtianæ bono ac penè ſplendori nato, civi optimè merito, S.P.Q. Bon. ſtatuam hanc erigendam curavit, quam juſſu Pontificis Petrus Donatus Cæſius Caroli Legatus hîc collocandam, fulcroque muniendam, decreto interpoſito ſanxit, Anno Dominicæ Nativitatis M.D.LXXX. Menſe Octob.

Novocomi.

ORdo populúsque Comenſis C. Plinium Secundum mactum ingenio virum, dignatione clarum, doctrinâ mirabilem, ut qui olim Imperatorum Cæſarum Veſpaſianorum amicitiam meruerit: officia maxima geſſerit; ac ſcriptores Univerſos, copiâ & varietate ſuperaverit; municipem ſuum incomparabilem, ſtatuâ, & elogio ornavêre.

Tantus honor, dulcíſque juvat me fama Secundum:

At magè concives hæc poſuiſſe meos.

Baſilea.

L. Munatio. Planco. civi. Romano. Viro. Conſulari. & Prætorio. Oratorique ac M. Ciceronis. Diſcipulo. qui. poſt. devictos. Rhætos. æde. Saturni. de manubijs. extructa. non modo. Lugdunum. ſed. & Rauricam. Coloniam. deduxit. Quæ Auguſta. fuit appellata, ab Octavio. Auguſto. tum. rerum, potiente.

tiente. S. P. Q. Baſilienſis. tametſi. Alemannorum. transducti. Coloni. Subactis. ac depulſis. Rauricis. amore tamen. virtutis. quæ etiam. in hoſte, venerationem. meretur. vetuſtiſſimo. tractus. hujus. illuſtratori. culpa. temporum. prorſus. abolitam memoriam, poſtliminio. renovarunt. Anno M. D. XXVIII.

Statua Amoris ex cera.

DIſcite mortales: nulla eſt in amore voluptas,
Hæc velut effigies cerea melle caret.

Item.

Laſcivi ſubitò vaneſcunt gaudia amoris,
Vt ſubito ceras flamma calore liquat.

Item.

Improba mortales ridete Cupidinis arma;
Quamvis collimet, tela retuſa cadent.

Item.

Vileſcit modò formidata potentia Amoris,
Fax extincta manet, penna volare nequit.

Item.

I puer ad flammas, ut, quæ patiuntur amantes,
Impia flammarum damna ſubire queas.

Joſephus Baptiſta.

Amor Aureus.

PAlleat omnis amans, color hic eſt gratus amori,
Si modò pallet Amor, palleat omnis amans.

Idem.

Cùm gerat ex flavo nunc fulgida tela metallo,
Corda puellarum conciliabit Amor.

Amor

Amor Cryſtallinus.

Nunc genitus dicatur Amor de Cypride. Nata eſt
Ex undis genitrix, filius ex glacie.

Joſeph. Baptiſta.

In Statuam ingentem Leonis.

Alciden contra ſi forſitan iſte ſtetiſſet,
Undenos tantùm poſſet numerare labores.

In Simulacrum Jovis Phidiæ manu factum.

Aut Deus ad Phidiam ſummo deſcendit Olympo,
Aut Phidia in cœlis hoc faciebat opus.

In Statuam Niobes, quam fecit Praxiteles.

Viva fui, Dii me faciunt ſaxeſcere, vitam
E ſaxo rurſus dat mihi Praxiteles.

Sub Polixenæ lugentis Statuâ.

Virginis in vultu captâ vultum aſpice Troiæ!

In Simulacrum Bacchi prope Palladem ſtantis.

Quid commune tibi eſt ſterili cum Pallade, Bacche?
Ipſe femur ſolvi Patris, at iſta caput.

In Signum armatæ Veneris apud Spartanos.

Armatam Spartâ cùm ſe Venus Aurea vidit,
Juravit lapidem, quòd velit eſſe lapis.

Bohuslaus Balbinus S. J.

Viennæ Auſtriæ, Columnæ elegantibus clauſæ cancellis, armatorum Heroum ad quatuor baſis angulos vallatæ ſignis monſtra calcata truciantibus, impoſita Statua B. Virginis Draconem Stygium proterentis, inſcripta.

Supre-

Deo Opt. Max.
Supremo cœli terræque
Imperatori:
Per Quem Reges regnant
Virgini Deiparæ
Immaculatè conceptæ:
Per quam Principes imperat
In peculiarem Dominam:
Auſtriæ Patronam:
Singulari pietate
Suſceptæ:
Se: liberos:
Populos: exercitus:
Provincias:
Omnia denique
Confidit: donat:
Conſecrat:
Et in perpetuam rei memoriam
statVaM hanC
eX Voto ponIt
FernanDVs TertIVs
AVgVſtVs.

Monachij in foro marmoreę columnę, cui ſtatua B. V. M. inſiſtit:

Deo Optimo Max.
Virgini Deiparæ
Boicæ Dominæ Benigniſſimæ
Protectrici potentiſſimæ, ob
PATRIAM,
Urbes, Exercitus, Seipſum, Domum,
& ſpes ſuas ſervata: Hoc

Hoc perenne ad poſteros
Monimentum
MAXIMILIANUS
Com. Pal. Rhen.
Utriuſque Boiar. Dux. S, R. I.
Archidapifer & Elector,
Clientum infimus, Gratus ſupplex
Pos. M. DC. XXXIIX.

Græcij in Styriâ, columnæ æneæ Statua Ejusdem B. M. V. impoſita has habet inſcriptiones:

MOnumentum Voti de immaculatâ Conceptione editi Anno M. DC. LXIV. 2. Febr.

Ponte ad Oſſecum ſuccenſo tardantur Turcæ, nec deinde proximi nocent.

Victoria ſuper Rabam imminens avertit excidium, ſequitur alma Pax.

Styria quod jurâſti, grata, ſi vis ſervari, ſerva.

Mediolani ſub imagine Crucifixi.

FLecte genu, ſubmitte caput, ſed corda levato,
Contemplare humilem, quem teris ore Deum.

Inſcriptio

Ad imaginem Sancti Thomæ Aquinatis in Bibliotheca Sancti Marci Florentiæ duos inter Interpretes ſedentis.

En tibi omnem
In uno demum Capite bibliothecam,
Et omnem in uno Calamo
Militantis Eccleſiæ Panopliam.
Abyſſus ſapientiæ Thomas,

Exha

Exhauriendus nunquam, hauriendus ſemper
Capaciſſimas, quas circumſpicis Animas,
Sibi redundantibus Gazis implevit.
Bos mutus,
Prô quot vocalia fecit oracula?
Et Angelus factum
In tam diſſimilibus diſcipulis
Idem ſemper Magiſter
Proh quot in Theologiæ Cœlo
Accendit primæ Magnitudinis ſidera!
Ægrè tamen tam multi digerant,
Quod unica olim in pagina
Puer librorum Helluo deglutivit.
Divina non eſſet
A Deo data, & laudata ſapientia,
Si exhauriri ab hominibus tota poſſet.

Inſcriptio Statuę Chriſtophori Columbi Liguris.

Aude Liguria exterorum Aquilis
Tuos Columbos præferre.
Is ego ſum,
Qui uni natus orbi, duobus ereptus,
Utrumque luſtrare avidus, illuſtrare capax,
Mare omne Liguſticum feci.
Pluris mercatus occaſionem periculi,
Quàm alij ſecuritatem;
Æquè fortis toleratis,
Ac fortunatus inventis,
Augendo naturam, Artem probavi.
Sed Columbis terras detegere

Conſuetudo jam eſt, non fortuna;
Merſas olim diluvio
Prima Columba quæſivit,
Clauſas Oceano primus Columbus invenit.
Favete Liguri, Ligures,
Nec timete avaritiæ probrum,
Qui pro Navibus Orbes datis.
Aloyſius Juglaris.

C. Cornelio Tacito,
Eq. R. proc. Gall. Belgicæ,
Pr. Urbano, XV. Viro. Sacr. Fac. Cos.
Auguſtiſſimóque rerum Auguſtarum
Scriptori;
M. Cl. Taciti, & M. Annij Floriani,
Fratrum Cæſarum affini,
Interamnates Nahartes, ad renovandam
Clariſſimi Civis memoriam,
Et ad excitandos, inflammandóſque Poſterorum Animos, Poſuerunt.

Gandavi Hiſpan. Infans Iſabella ſtatuam poſuit Carolo V. avo ſuo paterno, cum hac inſcriptione.

D. Carolo V. Imp. Cæſ. Aug. Pio, felici, Turcq. Germ. Gall. Ital. Hiſp. Sicil. & Ind. Regi, Flandr. Comiti PP. Sac. Imp. Vindici, quietis auſpici, D. N. Principi potentiſſ. Victori ac triumphatori perpetuo Magno, Max. univerſi Chriſtiani orbis bono, Deo volente, cœlo favente, huic urbi ſuæ Flandr. max. feliciter. innato.

Alte-

Altero latere : Alberto Auſtriaco, Maximiliani II. Imp. F. & Iſabella Clara Eugenia Philippi II. Hiſp. Regis filia, Auſtriæ Archiducibus, Belgiæ PP. hanc urbem lætiſſ. civium applauſu ingredientibus, anno Salut. Chriſti cIↄ IↄXCIX, &c. Coſſ. S P Q. G.

Toloſæ ad ſtatuam Henrici Magni.

HEnrico Magno pacis causâ armato publicorum ædificiorum magnique patriæ operis reſtitutori magna Toloſa regni olim alterius caput, regnum quæ Franciæ augere maluit, cum patris & ſuis ſub pedibus regijs ſuorúmque hinc inde Capitolinorum inſignibus inſignique ſubactorum amante animorum & faucib. mali ereptorum nota hoc opus debuit, dicavit: 1607.

Ibidem ad Statuam marmoream fœminæ hac inſcriptio in æs inciſa:

CLe. Iſau. L Iſau. F. ex præclara Iſau. Fa. quum in PP. Cœli. Op. VI. Tam. delegi caſ. Q. añis L. vixi For. Fru. vina. piſca, &. holito P. S. in pub. uſum ſtatuit C. P. Q. T. LG. hac lege, ut quot annis ludos flo. in ædem publicam quam ipſa ſua impenſa extruxit celebrent Rhoſas ad M. ejus deferant & de reliquo ibi epulen. quod ſi neglexe, ſine co. fiſcus vendicet conditione ſupra dicta. H. S; V. F. M. ubi R. I. P. W. F.

Ita deſcripſit Iodocus Sincerus in Itinerario Galliæ.

Bur-

Burdigalę.

DIVI ADRIANI PP. MEMO. L. SAB. PRO. DD.

Subjunctus fuit noviſſimè hic verſus:

Hic iterum priſcâ Cæſar ſub imagine vivit.

Roterodami ſtatua ex ęre in foro viſitur, & ſubtus hæc inſcriptio;

Eraſmus natus
Roterodami
Octob. XXVIII.
Anno M.IV.C. LXVII.
Obijt Baſileæ
XII. Julij. Anno
M. D. XXXVI.

In arce Vigile in Galliâ

FRanciſcus Bonna, Digveriarum Dux, Par & Mareſchallus Franciæ, ſummus exercituum, caſtrorùmque regiorum Præfectus equeſtr. hâc æneâ ſtatuâ Martis ora ferente ad vivum exprimitur. Anno M.DC. XXII. ætatis LXXVIIII.

Equus Ludovici XIII.

Terrúque gerens & Ephippia Cœlis.

LUDOVICO XIII,
Chriſtianiſſimo Galliæ & Navarræ Regi
Pio, Juſto, Felici,
Victori, Triumphatori ſemper Auguſto,
Armandus Cardinalis, Dux Richelius
Regni Adjutor, Regiorumque munerum
Adminiſter,

Do-

Domino ſuo benemerito, Principique
Munificentiſſimo,
Fidei & devotionis æviternum pergrati
Animi monumentum,
Hanc Statuam collocari curavit.
M. DC. XXXIX.

Ab altera parte inſcriptum Statuæ:

Quod Bellator Hydros, Pacem ſpirare rebelles,
Deplumes trepidare Aquilas, miteſcere Pardos,
Et depreſſa jugo ſubmittere colla Leones
Deſpectat Ludoicus *Equo ſublimis aheno;*
Non digiti, non artifices fecêre camini,
Sed virtus & plena Deo Fortuna peregit:
Armandus *vindex fidei, Pacísque ſequeſter,*
Auguſtum curavit opus, voluítque verendam
Effigiem Populis Regali ſurgere Circo,
Vt poſt Civilis depulſa pericula belli,
Et circum domitos armis civilibus hoſtes
Æternum Domina Lodoicus *in Vrbe triumphet.*

Pariſijs.

Inſcriptio Statuæ, quæ viſitur in monte Mondæo *prope Lutet. Pariſ.*

CHRISTINA
Suecorum, Gothorum, Vandalorúmque
Regina
Abeli de Servien
Extraordinario cum plenâ Pote-
ſtate legato ad Pacem orbis
Chriſtiani, ob navatam

Feli-

Feliciter operam
in componenda
Cùm Gallis & Suecis Germania
Hoc Grati animi perenne monumentum
Dono dedit.

Statua Equeſtris

ERRICI IV. Galliæ Regis.

STans Sonipes & frena ferox ſpumantia mordens;
Æneus Erricum *baiulat axe Jovem;*
Geſtat Alexandrum Pellæo robore Regem,
Scire cupis, quare, Gallia? Magnus erat.

Robertus Keuchenius.

Romæ in Baſilica S. Pauli ad Statuam S Brigittæ.

P*Endentis. pendente. Dei. Verba. accipit. aure:*
Accipit. at. Verbum. corde. Brigitta. Deum.

Ibidem ad Statuam S. Lucinæ I.

Athletas. Chriſti tumulat. Lucina. Sepulchro.
Tot Soles. merito. à. nomine. lucis. habent.

Ad Statuam S. Lucinæ II.

Depoſuit Lucina, recondidit altera Paulum:
Quàm benè, ſi nomen, par quoque veſtra fides.

Ad Statuam S. Scholaſticæ:

L*Vmine fraterno, proprioque Scholaſtica fulges,*
Vtroque hinc ſoboles à patre lumen habet.

Equeſtris Statua Victoris Amedei Sabaudiæ Ducis cernitur in regio Palatio Taurinenſi, cum hâc Inſcriptione in anteriore baſis fronte.

D. Victoris Amedei
Bellicam Fortitudinem,
Atque inflexum Juſtitiæ rigorem,
Metallo expreſſum vides.
Totum animum videres;
Si velox Ingenium
Flexilémque Clementiam
Exprimere metallum poſſet.
Oppoſitâ in baſis fronte:
D. Victori Amedeo
Quod unum rapere fata potuerunt;
Regiam Oris Majeſtatem,
Æterna vindicat hæc Imago.
In Regias virtutes, & Heroica geſta;
Jus nullum fatis reliquit fama.

Romæ in Baſilicâ Helenianâ, ſeu ſanctæ Crucis, baſi ſtatuæ, in ejuſdem Helenæ Auguſtæ memoriam erectæ, hæc verba leguntur inſcripta:

Baron. Anno 326.

DOminæ noſtræ Fl. Jul. Helenæ pijſſimæ Aug Genetrici D. N. Conſtantini Max. Victoris Clementiſſimi ſemper Auguſti, Aviæ Conſtantini & Conſtanti beatiſſimorum ac florentiſſimorum Cæſarum Julius Maximianus V. C. Comes pietati ejus ſemper Dicatis.

Romæ in foro Traiani:

EL. Eugenio. V. C. E Præfecto. Prætorio Conſuli Ordinario. Deſignato. Magiſtr.

Offi

Officiorum. omnium. Comiti. Domeſtico
Ordinis. primi. omnibúsque Palatinis
Dignitatibus. functo. ob egregia. ejus
In. Rempublicam. merita huic.
D. D. NN. Conſtantius. Victor. ac
Triumphator. ſemper. Auguſtus, Et
Julianus. Nobiliſſimus Cæſar
Statuam. ſub Auro. in foro. Divi
Traiani. quam. ante. ſub. Divo
Conſtante. vitæ. & fideliſſimæ
Devotionis. Gratia. meruit
Adprobante. Ampliſſimo. Senatu.
Sumptu. publico. loco. ſuo
Reſtituendam. curaverunt.

Anicio Probo à filijs Conſulibus erecta ſtatua.

Inſcriptio.

Sexto Pebronio. Probo. V. C.
Proconſuli. Africæ
Præfecto. Prætorio.
Quater. Italicæ. Illyrici
Africæ. Galliarum
Conſuli. Ordinario
Patri. Conſulum
Anicius. Probinus. V. C.
Conſul. Ordinarius
Et Anicius. Probus. V. C.
Quæſtor. Candidatus
Filij. munus. ſingulari. Religione
Debitum. dedicarunt.

Sed

Sed & duo alij filij, nempe Olybrius Conſul & Juliana, aliam illi ſtatuam dedicarunt, in cujus baſi hæc inſcriptio legitur:

Sexto. Petronio. Probo
Anicianæ. domus
Culmini. Proconſuli
Africæ. Præfecto
Prætorio Quater.
Italiæ. Illyrici. Afri-
cæ. Galliarum. Conſuli.
Ordinario. Conſulum.
Patri. Anicius
Hermogenianus
Olybrius, V. C. Conſul
Ordinarius. Et Ani-
cia. Juliana. C. F. ejus
devotiſſimi. filij. dedicárunt.

Baronius an. 395.

Statua Uxoris ejus Probæ inſcriptio.

In ædibus Cæſijs apud Vaticanam Baſilicam.

Conſimiles.fratrum. trabeis.geſtamina. honorũ.
Tertia. quæ. dederant. addidimus.titulis.
Dilectæ. Probus. hæc. perſolvit. Munera. Matri
Reſtituens, ſtatuis. præmia. quæ dederat.

Et infrà:

Aniciæ. Faltoniæ
Probæ. Amnios. Pincios
Aniciósque. decoranti

Conſulis. filiæ
Conſulum. Matri
Anicius. Probinus. V.C.
Quæſtor. Candidatus
Filij. Devincti
Maternis. Meritis
Dedicarunt.

Alia ijsdem in Ædibus inſcriptio in baſi Statuæ.

Aniciæ. Faltoniæ
Probæ. fidei. Nobilita-
tis. Antiquæ. orna-
mento Anicianæ
Familiæ. Servandæ &
Docendæ. caſtitatis
Exemplo. Conſulum
Proli. Conſulum. Matri
Anicius Hermogenianus.
Olybrius V. C.
Conſul. Ordinarius
Et. Anicia. Juliana. C. F.
Ejus. Devotiſſimi. filij
Dedicarunt.

Inſuper hæc in alia baſi ibidem poſita:

Aniciæ. Faltoniæ
Inluſtriſſimæ. &
Sanctiſſimæ
Caſtiſſimæ. Fæminæ
Hermogenianus. Olybrius V.C.
Conſul Ordinarius
Et, Anicia. Juliana. C. F.

In Ædibus Cavolis viâ Juliâ

Tyrraniæ. Aniciæ
Julianæ, C. F. Conjugi.
Q. Clodi. Hermogeniani
Olybrij. V. C.
Conſularis. Campaniæ
Proconſulis. Africæ
Præfecti. urbis
Præf. Præt. Illyrici
Præfecti. Præt. orientis
Conſulis. ordinarij
Fl. Clodius. Rufus. V. P.
Patronæ. perpetuæ. *Baronius an. 395.*

Monimentum Genuæ inciſum.

Jacobo Philippo Duratio
Genuenſi Patritio,
Quod opũ, & operum ſplendore perinde clarus,
Ut fortunas ſuas extra fortunam poneret,
In pauperum abdidit ſinu:
Sempérque affluentibus & effluentibus copijs;
Sibi frugalis, illis frugifer;
Humanæ ſortis inæqualitatem,
Chriſtianâ munificentia peræquavit.
Quod ingenuæ Nobilitatis inſtinctu,
Occultam ingenuorum inopiam, occulâ ſublevans manu,
Verecundas preces furtivâ liberalitate ſic anticipavit,
Ut beneficium illi agnoſcerent, non beneficum:
Quod ultimis tabulis, pium hoc pauperum
Aſylum

Legato ingenti ære locupletavit:
Et hæreditati luculentiſſimæ, ſi quando filij
deficerent,
Inopes hoſce alumnos, poſthumam veluti fa-
miliam, ſuffecit.
Quod poſtremos denique inter ſingultus;
Pari affectu, Deo ſpiritum,
Senatui Sereniſſimo Pauperes commendans,
Expirare non eſt ſibi viſus, quamdiu iſti re-
ſpirarent.
Tot igitur ob promerita, eviſceratámque cha-
ritatem;
Magiſtratus, & hujuſce Pij Domicilij Admi-
niſtratores;
Vero pauperum patri;
Cùm majus, aut melius donare nihil poſſint;
Ipſum ipſi, ſuâ in effigie redivivum, donant:
Quem Divites imitentur; avari erubeſcant;
Pauperes venerentur.
Próque illo, quem nunquam fruſtrà rogavêre;
perpetuò rogent.
Anno Redemptæ Salutis M. DC. LIX.

Emmanuel Theſaurus.

Inſcriptio ſtatuarum
Trium Principum Fratrum; ex pario lapide;
In Vinea Mauritij Principis à Sabaudiâ.

Philippum, Victorem, Philibertum,
Tres unanimes Fratres,
Candido è marmore, marmore candidiores vides:
Strenuitate Primus, Prudentia tertius

Omnes

Omnes vicêre; uterque à Medio Victi.
Satu medius, occaſu ultimus, Imperio primus
Fratres fatis ſequutus, Factis anteceſſit.
Major minorem, minor medium, medius majorem ætatem vixit.
Majorem Hiſpania, minorem Sicilia, medium
Italia Terris diviſos, non amore;
Orbi præripuit, Empyreo reddidit;
Omnes Mauritius ſibi reſtituit.

Statuæ

Magni Caroli Emmanuelis ex ære, in eadem Vinea.

Vides hanc ſpeciem, parvo in loculo Magnam?
Talis erat Prototypus:
Quem natura ſibimet invida,
Orbe majorem, exiguis finibus coërcuit.
Ne unquam quieſceret.
Perpetuam belli neceſſitatem utrinque adjecit,
Ut quietem pareret.
Proinde metalliferas inter (1) alpes natus,
Ne armis fideret, niſi ſuis.
Dubito utrâ virtute majorem dicam,
Ferro; an ingenio.
Utramque ſanè agnovit Orbis, cùm amiſit.
Nam ſi vixiſſet, non videres quæ (2) vides,
Si reviviſceret, videres, quæ prævidit.

1.) *Natus Ripulis inter alpes.* 2.) *Poſita fuit imago, dum bello civili Patria æſtuaret.*

Emmanuel Theſaurus.

 In-

In ſtatuam Jacobi Menochij.

Magnum illud Sapientiæ Oraculum
JACOBUS MENOCHIUS.
Hic ſilet.
Quid enim reſpondere pergat,
Cùm plura quàm ſcripſit, dici nequeant?

Romæ in Monto Quirinali, inſcriptiones duorum equorum, à Phidia & Praxitele Sculptorum.

Unius eſt:

Phidias nobilis ſculptor, ad artificij præſtantiam declarandam, Alexandri Bucephalum domantis effigiem è marmore expreſſit.

Alterius verò hæc:

PRaxiteles ſculptor ad Phidiæ æmulationem ſui monumenta ingenij poſteris relinquere cupiens, ejusdem Alexandri Bucephalique felici contentione perfecit.

Ibidem in Capitolio ad Herculis ſignum.

PAulo III. Pont. Max. Bernardinus Victorius, Laurentius Vellius, Valerius Valentinus Conſervatores, ſignum Herculis in ruinis templi Herculis Victoris in foro Boario repertum, gloriæ Pop. Rom. & memoriæ Veterum artificum hic reponi juſſerunt, Anno Chriſti M. D. XLI.

In Baſi ſcriptum eſt

Herculi Victori, Pollenti, Potenti, invicto, S. P. Q. R. D. D. L. M. Fronto.

Ibidem.

S. P. Q R. Signum Herculis æneum in foro Boario, ad aram maximam egeſtis ruderibus repertum, & Sixti IV. Pont. Max. juſſu in Capitolium translatum, nova collocata baſi imponit Gregorius XIII. P. M.

Ad ſtatuam Caroli Siciliæ Regis, Romæ in Capitolio.

Ille ego, qui tuleram præclari ſceptra ſenatus,
Rex Siculis Carolus jura dedi populis.
Obrutus heu jacui ſaxis terráque dederunt,
Hunc tua conſpicuum tempora, Sixte, locum.
Hac me Matthæus poſuit Tuſcanus in aula,
Et patriæ, & gentis gloria magna ſuæ.
Is dedit & populo poſt me bona jura Senator,
Inſignis titulis, dotibus atque animi.
An. Domini M. CCCC. LXXXI. III. Semeſtri.

Ad Lupæ ſimulacrum.

HOc æneum Lupæ ſimulacrum, ex cujus uberibus urbis Conditores pendent, Romulus & Remus, antiquiſſimum eſſe, ex Ciceronis verbis conſtat, cùm inquit: Tactus eſt etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum & lactantem, uberibus inhiantem fuiſſe meminiſtis Et Virg. lu-

dere pendentes pueros. R. de capite ferreo, M. de bellis hominibus. F. de Miccinellis Coſſ. P. Cur.

Ibidem.

Gregorio XIII. Pont. Max. Opt. Principi.
Hugoni Boncampagno, Bononienſi,
qui Rom. Magiſtratus
& Eccleſiaſticas dignitates
Juſtitiam, & pietatem colens,
Ad Pontif. ſedem evectus
Univerſam Rempubl. Chriſtianam
ſummâ providentiâ & charitate
moderatur.
S. P. Q. R.
Hieronymo Bubalo Camillo, Mancino Bernardino Cavallerio Coſſ.

Ibidem.

Ad equeſtrem Ducis Parmenſis Statuam,
F. Vincentius Siculus Minorita.

Talibus Armipotens rutilans inſignibus Heros,
Celſus Alexander ſic equitabat ovans.
Horribiles acies radiantes ære fugabat
Hoſtis, & explebat pectora ſæva metu.
Subdidit imperio revolutáque Regna Philippi
Regis; quæ penitus preſſa, ſubacta manet.
Jungitur agminibus ſuperûm modò ſedibus aureis;
Perpetuò cujus maxima facta micant.

Ejusdem.

COR Italo rapitur, Gallo SPES, Brachia triſti
Hiſpano, Flandro jam cadit omne Decus. In

In Aula Cur. Senat. ad ſignum Pauli III. P. M.

PAulo III. P. M. quòd ejus juſſu, auſpicijs, atque ære conlato urbem ſitu ac diverticulis viarum deformem atque imperviam, disjectis malè poſitis ædificijs, in meliorem formam redegerint, vijs, areiſque cùm veteribus directis ampliatis, tum novis conſtitutis auxerint, ornaverintque, Latinus Juvenalis Mamectæus Hieronimus Mapheus Cur. Viar. urbe inſtaurata officij & memoriæ ergò ſtatuam in Capitolio optimo Pontifici PP. anno Chriſti 1543.

Peruſia.

Ante ædem S. Laurentij in frontiſpicio Ænea Pont. Statua.

JUlio III. Pontif. Max. ob reſtitutos Magiſtratus, piè deprecantibus Fulvio S. R. E. Cardi. & Aſcanjo Corneis, ex ſorore nepotibus, ad muneris, gratique animi perpetuitatem Peruſia dedicat.

Caci ſtatua ſine manibus.

CAcus Aventini ferus hic eſt accola montis,
Utraque cui gemino verbere fracta manus.
Soſpita nunc paſſim curant armenta per arva,
Ducere ſic mutilus neſcit ad antra boves.

Joſephus Baptiſta.

Ferrariæ in Aſylo.

Memoriæ D. Herculis Eſtenſis Ducis II.

HIc Alphonſo Neapolitanorum Regi, ob egregiam indolem, chariſſimus, cum Galeatio Pandono miro illuſtri ac fortiſſimo, vixdum adoleſcens, non ſine maxima laude ſingulari certamine depugnavit: ad Molinellam Venetorum exercitum hoſtili impetu graviter laborantem virtute ſua conſervavit: neque prius alacriter pugnare deſtitit, quàm repulſis hoſtibus, plumbeâ glande dextrum pedē ſaucius, ex prælio diſcedere coactus eſt. Multa, imperium adeptus, ad urbis ornatum excogitavit, perfecítque. Aulam regiam commodiorem, pulchriorémque reddidit: innumeras domos, nova fora, publicas porticus marmoreis columnis inſignes, caſtelli veteris molem jam pridem inchoatam celeriter & exactè conſumavit. Belligraudi palatium auxit atque exornavit. Belflorē incendio conſumptum reſtituit: arcem novam ad Eridanum poſitam meliori ſtructura & amænis hortis additis, multò decentiorem refecit; aquâ ex Padi alveo plumbeis fiſtulis in urbem traductâ, perennes fontes inſtituit. Templis fermè omnibus inſtauratis, atque ad ampliorem & auguſtiorem formam redactis, nova poſuit: & ea omnia præclaris muneribus ditavit. Paluſtres agros ad culturam redegit: antiquorum Comœdias, ac veteris ſcenæ modos actúſque retulit: plurimáque ad ſpectatorum hilaritatem, inuſi-

inuſitato ſumptuóſoque paratu, actibus interpoſuit. Hunc novum urbis ambitum, in ſeptentrionem vergentem, antiquæ urbi addidit: crebríſque propugnaculis turritis,& inexpugnabilibus muris, lata ac præcipiti foſſa, lateritijs pontibus ſuper conſtructis, celerrimè communivit. Tot magnificis operibus brevi perfectis, tot publicè privatímque collatis beneficijs, tot clariſſ. virtutum ratione habita, Auguſti & PP. nomen meriti, S. P. Q. Ferrarienſis, hanc equeſtrem ſtatuam viventi poſuêre. ad quam ſi quis intra ambitũ XX. P. confugientibus vim attulerit, ſe læſæ Majeſtatis crimen incurriſſe non ignoret.

Avinione in S. Martialis Templo imagines ſunt Abbatum Monaſterij Cluneac. inter quos fulget Rex Poloniæ, cujus effigiei hæc Epigraphe adjecta;

B. C.

POloniæ Rex in Galliam ſecedens Cluneatæ Monaſticæ vitæ ſe addixit, & profeſſione emiſſa frater Carolus vocatus & Diaconi ordinem ſuſcepit. Anno ſui Monachatus tertio à Polonis requiſitus S. P. diſpenſatione à voto abſolutus regno inaugurari meruit, his tamen conditionibus: 1. Ut Poloni ſingulis diebus Mercurij jejunent, unica tantùm refectione contenti. 2. Ut omnes rotundâ coronâ in morem Monachorum utantur. 3. Ut nobiles feſtis ſolemnibus dum ſacra peraguntur, ſtolam è collo ſuſpenſam ferant. 4. Ut ſinguli è plebe perſolvant obolum in lucernam uſturam Romæ. an. M. D. I.

Hellæ

Hallæ in Belgio in æde D. Virginis, Penna argentea Lipſij, argenteis catenis ſuſpenſa, cernitur cum his verſibus:

HAnc, Diva, Pennam interpretem mentis meæ
Per alta ſpatia quæ volavit ætheris,
Per ima quæ volavit & terræ, & maris
Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ
Operata ſemper. Auſa quæ Conſtantiam
Deſcribere & vulgare: quæ Civilia,
Quæ militaria, quæ Poliorcetica;
Quæ. Roma, magnitudinem exſtruxit tuam
Variáque luce ſcripta priſci ſæculi
Affecit, & perfudit. Hanc Pennam tibi
Nunc, Diva, meritò conſecravi Lipſius.
Nam Numine iſthæc inchoata ſunt tuo,
Et Numine iſthæc abſoluta ſunt tuo.
Porrò ô benignitatis aura perpetim
Hæc ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam Penna peperit, tu perenne gaudium
Tuámque, Diva, Lipſio pares tuo.

Patavij ad Petri Bembi Imaginem.

PEtri Bembi Card. Imaginem Hieronymus Quirinus Iſmerij F. in publico ponendam curavit: ut, cujus ingenij monumenta æterna ſint, ejus quoque corporis memoria ne à poſteris deſideretur. Vixit annos 76. M. 7. D. 29. Obijt 15 Calend. Februarij anno 1547.

Ibidem.

HAnc Alexandri Contareni, Venetæ claſſis, cum ſumma poteſtate fortiſſimi Legati, Di-

vi Marci Procuratoris, quem nec venti in periculoſiſſimis Reipublic. temporibus retardarunt unquàm, & Hariadenus Barbaroſſa Othomanicæ claſſis Imperator potentiſſ. ſæpè timuit: tàm admirabili artificio ductam effigiem, magni indicem animi, præclarúmque totius maritimæ diſciplinæ ſimulachrum, ut poſteritas haberet, quod inſtar immortalitatis ac gloriæ unicè coleret, nec quicquam Patavino ſplendori deeſſet: Petrus & Randulphus frat. opt. P. Vixit anno LXVII. D. XIII. obijt Cal. April. M. D. LIII.

Viennæ in Collegio J. C. ad Imaginem Juſtitiæ.

Reddo cuique ſuum, Sanctis & legibus omne Concilio mortale genus, ne crimine vivat.

Dresdæ ſub ſtatua Herculis.

DIvo Maximiliano II. Imperatori Max. Cæſ. Auguſto, ob deſideratiſſ. illius adventum, Auguſtus Dux Saxoniæ, Elector, gratulationis & obſervantiæ ergò fieri curavit, ut heros inclytus ſectam Calviniſticam in has terras irreptam, & diſſimulanter nutritam, Deo juvante ſuo, & opprimeret & vinceret: ſicuti Lernam Hercules numeroſum licet monſtrum, igne tandem vicit, & mori docuit.

In Martini Lutheri Effigiem Anonymi.

Tali Bacchus erat, tali Gargantua vultu,
Tale triplex meritum Pantagruelis erat.

Equus Antonini.

ATtonito ſonipes quem ſtans miraris hiatu,
Arduus alipedi geſtit abire fuga.
Roma cave, cape vincla, manu cape fræna; tot annos
Quiſtetit, ut currat, Dux, viden', urget equum.

Balduinus Cabillavus.

Niobe.

IAm vivit Niobe ſibi poſthuma; ſaxea leti
Filia, & humenti marmore docta queri.
Expectas gemitum? luctu ſilet ægra Superbum
Dum fuit auſa loqui, plus ſine mente fuit.

Idem.

Fortuna ex Ære.

REs ego plus fragilis vitro vitreâque pruinâ,
Et mihi de ſolido conſtruis ære caput.
Crede mihi, non illa meo ſcena apta theatro.
Vin' bene fortunam fingere, frange vitrum.

Idem.

In ſtatuam Cleopatræ.

HÆc quæ vivaci ſub caute perennat ad auras,
Nil eſt, nilque bibit, flebile tota gelu.
Cur Cleopatra gelat? neſcis? ubi deſit opimus
Bacchus, & alma Ceres, friget inerma Venus.

Idem.

Affabrè ſculptus Nero.

ODero? in ambiguo eſt. Te certè invitus amabo:
Execror Archetypum, me tui imago tenet:

Aut

Aut Nero ſit melior, vel pejor imago Neronis:
Quid facit ad ſævam gratia blanda feram?

Balduinus Cabill.

Mantuæ ſub ſtatua Andreæ Mantiniæ Pictoris.

ESſe parem hunc noris, ſi non præponis Apelli,
Ænea Mantiniæ qui ſimulacra vides.

Lavanij in Ædibus Lipſianis, videre licet III. canes depictos, additis his inſcriptionibus.

SAphyrus Catellus, gente Batavus, corpore albet, capite auribúſque purpurat, diſcrimine tamen albo à ſummo eo, inter aures, cuneatim ad eos deſcendente, ſenecio nunc eſt, & tredecennis: cùm in flore pulcherrimus & lepidiſſimus Catulorum.

Gemma dedit nomen, ſum verò gemma catellûm
Quotquot terra habuit Belgica, habebit, habet.
Tale decus vultus, talis Venus. Adde lepores
Ingenij, humanum qui ſapiant Genium.
Et ſanè eſt aliquid mî hominis: Vis argumentum?
Vina bibo, & vino nata me habet podagra.

Mopſulus Catulus, domo Antverpia, donum à Cl. V. Arnoldo Borcoutio, amico veteri, & I.C. is corpore albet, capite, auribus, atque altero oculo ſufflavis. Roſtrum è rubeo albicat, breve & obtuſum, & nare prorſus repanda, Craſſulus, argutus, mordax eſt ætate bimus.

Mopſulus aſt ego ſum, domini conviva: quid ultra?
En etiam lectum participo Domini.

Eſtne

Eſtne aliud? Domini Dominus, ſi dicere fas eſt:
Uſque adeò forma huic jungitur improbitas.
Sed forma quæ rara cluet. Si examine juſto
Pendor, quod nec ames eſt mihi, plus quod ames.

Mopſus canis, gente Scotus, colore craſſo ſpadiceo; ſed circa oras aurium, & in ipſo ore; dilutius flavo: Super oculum utrumque orbiculi æquales duo, itidem flavi. Idem color in pedibus interioribus, intra femora, ſub cauda, & in ano. at pectus latum & honeſtum; pantherina prorſus ſpecie, album & maculis ſpadiceis ſparſum. tales ipſi imi pedes. Annum agit tertium; ad invidiam pulcher,

Mopſus ego formâ qui vinco ſaclâ caninâ;
Quod nolim, in magno corpore nil habeo. (lenitas
Quodque velim, dominum, dominam, ancillamq; vo-
Conciliat probitas, ſimplicitáſque mihi.
Ille canis redeat, meruit qui cœlica templa:
Si certet, terra hunc, me ſibi cœlum habeat.

Romæ in Monte Quirinali; in baſi Bucephali à Phidia elaborati:

SIXTUS V. PONT. MAX.

Signa Alexandri Magni, celebriſque ejus Bucephali, ex antiquitatis Teſtimonio, Phidiæ, & Praxitelis æmulatione hoc marmore ad vivam effigiem expreſſa, à Fl. Conſtantino Max. è Græcia adducta, ſuiſque in thermis in hoc Quirinali monte collocata, temporis vi deformata, laceraque ad ejuſdem Imperatoris memoriam, Urbiſque

biſque decorem, in priſtinam formam reſtituta, hic reponi juſſit. Anno 1589. Pont. IV.

In alterâ.

Sixtus V. Pont. Max.

COloſſæa hæc ſigna temporis vi deformata reſtituit, veteribúsq; repoſitis inſcriptionibus è proximis Conſtantinianis Thermis in Quirinalem aream tranſtulit. Anno Salutis 1589. Pontif. IV.

Opus Phidiæ. Opus Praxitelis.

Præneſte.

M. Aurelio. Augg. Lib.
Agilio. Septemtrioni
Pantomimo. Sui. Temporis primo
Hieronicæ. Solo. in. Urbe. coronato.
Diapanton. ab. impp. DD. NN.
Severo. & Antonino. Augg.
Paraſito. Apollinis.
Archieri. Synodi. IIIIII. Vir. Au--a
Huic Reſpublica Præneſtina.
Ob. Inſignem. Amorem. Ejus. Erga
cives. Patriamque
Poſtulatu. populi. Statuam poſuit.

Ibidem.

Cn. Vœſio.
Cn. Fil. Apro.
Quæſtori. Ædili II. Viro
Flamini. Divi. Augusti. VI. Viro
Auguſtali. Curatori. annon.
Triennio. Continuo. curat.

Muneris publici Gladiatorij. III.
Quod iſte Tempore honorum curarumque
Suarum. pientiſſimo munificentiæ
Studio. voluptatibus. & utilitatibus
Populi. plurima. contulerit. ludum. etiam
Gladiatorium. & ſpoliarium. ſolo. facto
Sua pecunia. extructum. publice. obtulerit
cujus. meritis. poſtulante. populo.
Statuam. publice. poni. placuit. DD.

Ibidem.

L. Urvinio LL. Philomuſo
Mag. Conlib. L. oerr.
Publicæ ſepulturæ, & ſtatuæ
In foro locus datus eſt quod in
Teſtamento ſuo lavationem populo
Gratis per triennium Gladiatorumque
Paria X. & fortunæ primigeniæ coronam
Auream P. I. dari idemque ludos ex
Hs.cc.Iↄↄ.Iↄↄ.per dies V. fieri juſſit.
Philippus L. Monumentum de ſuo fecit.

Urbini ad imagines præſtantium Virorum.

PLATONI

Atheniensi, humanæ divinæque Philoſophiæ antiſtiti celeberrimo Fed. dicavit ex obſervantia.

ARISTOTELI

Stagiritæ, ob Philoſophiam ritè exactèque traditam, Fed. poſuit ex gratitudine.

CL. PTOLEMAEO

Alexandrino, ob certam aſtrorum dimenſionem,

tiem, inductáſque orbi terrarum lineas, vigilijs laboriſque æterno, Fed dedic.

M. TULLIO

Ciceroni, ob diſciplinarum varietatem, eloquentiæq; regnum Fed. D.P.P.P.ex perſuaſione.

L. BOETHIO,

Ob cujus commemorationes Latini M. Varronis ſcholas non deſiderant Fed. Urbin. Princeps P.

L. ANNAEO SENECÆ,

Corduben. cujus præceptis animus liberatur perturbationibus, excoliturq; tranquillitas. Fed. erexit.

HOMERO

Smyrneo, cujus poëſin ob divinam diſciplinarum varietatem, omnis ætas admirata eſt; aſſecutus nemo poſt. Gratitudo P.

D. AUGUSTINO.

Ob ſublimem doctrinam, cœleſtiúmque rerum indagationem luculentiſſimo poſt, edocti F.C.

MOSAE.

Judæo; ob populum ſervatum, diviniſque animatum legibus, poſteritas Chriſtiana poſuit.

SALOMONI.

Ob inſigne ſapientiæ cognomen Fed. homini divino P.C.

S. THOMÆ

Aquinati, cujus divinitas Philoſophiæ Theologiæque commemorationibus ornata eſt, dicat ob virtutem egregiam.

SCOTO.

Ob ſublimes cogitationes, cœleſtium querérum aſſertationes accuratiſſimas, Fed. doctori acutiſſimo P.

PIO

Sancto, P. M. ob imperium auctum armis, ornatúmque eloquentiæ ſignis. Fed. poſuit magnitudini animi, laboribúsque aſſiduis.

BESSARIONI

Græci latinique Conventus Pacificatori, ob ſummam gravitatem, doctrinæque excellentiam Fed. amico ſapientiſſ. optimóque poſuit.

ALBERTO

Magno, ob res rationales æmulatione Ariſtotelica perquiſitas, immenſis voluminibus, Poſteritatis curæ ſanctiſſimæ B. M. P.

XYSTO

Quarto P. M. ob Philoſophiæ, Theologiæque ſcientiam ad Pontificatum traducto, dicat benignitati immortali.

DANTI

Aldigerio, ob propagatos numeros, Poeticámque variâ doctrinâ populo præſcriptam. Poſita B. M.

P. VIRGILIO

Maroni, ob illuſtrata numeris Heroicis Romani Imperij incunabula, atque Poeſeos divinitatem, Fed. dedit furori ſublimi.

EUCLIDI

Megarenſi, ob comprehenſa terræ ſpatia lineis centróque, Fed. dedit inventori exactiſſ.

VICTORIANO

Feldrenſi, ob humanitatem, litteris exemplóq; traditam, Fed. præceptori ſanctiſſ. P.

SO-

SOLONI,

Ob leges Athenienſibus traditas Rom. tabularum ſeminario ſanctiſſ. Fed. P. ex ſtudio benè inſtituendorum civium.

BARTHOLO

Sentinati, acutiſſimo Legum interpreti, æquiſſimóque, Fed. poſuit, ex merito & Juſtitia.

HIPPOCRATI

Coo, ob ſalubritatem humano generi datam, brevibúsque demonſtratam comprehenſionibus, bona poſteritatis valetudo dicat.

PETRO

Apono, medicorum arbitro æquiſſimo, ob remotiorum diſciplinarum ſtudium inſigne, Fed. P. Cur.

D. GREGORIO

In cœlum relato, ob morum ſanctitatem, librorumque elegantiã teſtatam, gratitudo Chriſtiana memor erexit,

D. HIERONYMO,

Ob fidei Chriſtianæ præcepta, doctrina elegantiáque illuſtrata, Fed. æternitatis gratia poſuit.

D. AMBROSIO,

Ob ſpretos faſces conſulares, ſuſceptúmque Chriſtianum nomen, & ornatam latini ſermonis jucunditatem, Fed. P.

FR. PETRARCHÆ

Ob acerrimum ingenium, ſuaviſſimæque ingenuitatis doctrinam, poſteritatis lætitia luſúsq; dicavêre B. M.

Icones Planetarum.

SATURNI.

AVrea ſæcla olim me paupere Rege fuerunt:
Lis, vis, fraus aberant, omnia pacis erant:
At nunc juſtitiam mentita injuria dives,
Lis, vis, fraus, auri ſæcula nuda premunt.

JOVIS.

Largus opis, nec avarus opum, dum regna tenebam:
Inde mihi cœlum fama benigna dedit.
Hæc æquat virtus humili de plebe Quiritem
Regibus; hæc homines efficit una Deos.

MARTIS.

Magna quod evortam Mavors ſum jure vocatus,
Quàm validus dextrâ, tam rationis inops.
Vis, furor, ira, pavor comites ſunt, & mihi teſtes,
Quantum conſilij vis ferat orba mali.

SOLIS.

Sol oculus mundi, longum mortalibus annum,
Inque vices noctes metior, atque dies.
Luminis & vitæ fons, per quem fructus & uſus
Vtilibus, pulchris gratia rebus adeſt.

VENERIS.

Alma Venus, rerum genitrix, hominúmque voluptas,
Curarum requies, publicus orbis amor.
Hi quóque, qui tetricis invadunt crimina verbis,
Vultu diſſimulant, diſſimulant & amant.

MERCURIJ.

Quot Protei vultus, tot ſunt mihi Nomina & artes,
[illegible] eſt ingenio fraus malè nota meo.

Tam

Tam catus, & mendax, vafréque impoſtor, ut eſſe
Poſſim chemiſtes, augur, & Aſtrologus.

LUNÆ.

Quod maculas vultus alieno lumine fuco,
Muto cuncta, marem nunc peto, nunc fugio.
Quod vaga, quòd nunquam conſtans, vis diſcere cauſam?
Fœmina ſum, uxoris forſan imago tuæ.

TEMPORIS.

Sum genitor veri, domitor Livoris, operti
Index, aſtrorum filius, atque comes.
Me ſequor, & fugio mea per veſtigia, nunquam
Cùm ſum, quotidiè naſcor, & intereo.

VICTORIÆ.

Si tam conſilio firmet victoria mentem,
Quàm palpat Senſus, lætitiáque capit:
Anteferenda alijs cunctis foret unica: verùm
Fortunæ rarò eſt mens bona juncta bonæ.

Georgius Buchananus.

Aliæ Planetarum Inſcriptiones.

I.

SATURNI, ſive Temporis.

ANnorum dirus pater, Annorúmque Vorator,
Quæ priùs ediderat tempora, Tempus edit.
Magnarum largitor opum, largitor honorum,
Omnia quæ donat, devorat iſte Senex.
Heu, quid opes? quid regna? tuum nibil eſt, niſi virtus:
Devorat illa Senex, devorat iſta Senem.

JOVIS.

Splendida cùm toto diſſundat munera mundo
Rex Superûm, nudus fulmina ſola tenet.
Et licet archetypâ tot pinxerit arte volucres;
Fulmineam tantùm diligit ultor avem.
Nam pauci officijs, plures terrore moventur:
Fac ut amet populus, fac tamen ut metuat.

MARTIS.

Hic licet infeſtis nuſquam penetrabilis armis,
Securus propriâ conditione Deus.
At caput Ætneo munit, pectúsque metallo;
Ceu mortem impavidus terreat, & paveat.
Conſilium cauto, Princeps, à Principe ſume:
Sint tibi cuncta licet proſpera, cuncta time.

SOLIS ſive APOLLINIS.

Vna chelys Cœlum eſt, ſeptenáque fila Planetæ,
Lux plectrum, numeri tempora, vita melos.
Hanc Sol concordi Cytharam modulamine ſolus
Tangit; & aſtrorum ducit in orbe Choros.
Vna nequit gemino tangi lyra Cœlica ſole;
Vnica nec Reges perferet aula duos.

VENERIS.

Deciduum alternis reparat quid fœtibus orbem?
Fertilis hæc cœlo nata favente Venus.
Quid mentes viréſque virûm lethalius haurit?
Hæc eadem pelago nata furente Venus.
Quid Venus eſt igitur? lethalis vita, lucroſus
Jactus, barbaries blanda, bonúmque nocens.

MERCURIJ.

Quadruplici excellit quem cernis dote miniſter,
Velox, facundus, callidus, atque latro.

Hujus

Hujus ab ingenio Regum fluxêre Miniſtri,
Quos & Mercurios Aula diſerta vocat.
Tres poterant ſolidum dotes formare miniſtrum;
Sed rarò, ſi adſit Tertia, Quarta aberit.

LUNÆ.

Candida fraternæ ſectatrix Cynthia Lucis,
Non eadem, atque eadem: nunc fugit, inde redit,
Hæc procul à Phœbo, pleno micat integra vultu:
At propior Phœbo, Cornua fronte gerit.
Virginibus ſpeculum: ſplendent, ſi ſplendida vitant;
Si dant ſe in lucem, deficit integritas.

Quatuor partium Orbis.

ASIÆ.

A*Rgento hic liquido radians intermicat aurum,*
Purpureóque natat gemmea gaza mari.
Scilicet incedo Regina: hinc aurifer orbis
Nativum capiti dat diadema meo.

AFRICÆ.

Hæc ego fuſca parens, nutrix animoſa leonum,
Africa, monſtriparis Africa fœta feris;
Quam populat ferus hoſpes Arabs, Scytha, Apella, Naſammon.
Non ſat monſtra feroci: ipſa fera & ipſus homo eſt.

AMERICÆ.

Cæruleo Tethys quem peplo involuerat orbem,
Gemma Comes velis lyncea ſignat acu.
Trans metam Herculeam cœlo natat auſpice magnes,
Major & Alcide neſcius ire lapis.

EUROPÆ.

Marte potens, generoſa viris, fecunda triumphis
Europa, armiſono volvit in axe rotas.

Hic Aſia, hic Libye diti ubere, & ubere Gaza.
Par hæc pars mundo, mundus an alter erit?
Balduinus Cabillavus.

Ad Imagines quinque ſenſuum.

VISUS.

Quo ſimilis menti magis eſt magis avocat illam
Viſus, & ad nutus ducit agitque ſuos.

AUDITUS.

Quàm citò vocalis vaneſcit in aure voluptas?
Quæ velut aura venit quæ velut aura fugit.

ODORATUS.

Os oculóſque inter naris gnariſſima, quiddam
Carnale, & quiddam ſpirituale ſapit.

GUSTUS.

Quo vis ut guſtus major ſit in ore voluptas,
Hoc tibi conſtabit pluris, emenda fame.

TACTUS.

Eſt qui delectet nos tantùm. eſt quique titillet
Tactus: & hic juvenes afficit, ille ſenes. Owenus.

AREOLA XIV.
INSCRIPTIONES ARCUUM.

Romæ.

Imp. Cæſ. Fl. Conſtantino. Maximo
P. F. Auguſto. S. P. Q. R.
Quod. inſtinctu. Divinitatis. mentis. magnitudine. cùm Exercitu. ſuo. tam. de. Tyranno.

Quàm

Quàm, de, omni. ejus. Factione. uno. tempore; Juſtis. Rempublicam. ultus. eſt. armis. Arcum, triumphis inſignem. dicavit.

Intra Fornicem majorem ejusdem arcus legitur:

Hinc	*Inde*
Liberatori urbis.	Fundatori Quietis.

In Arcu Boario. Romæ.

IMp. Cæſ. L. Septimio Severo Pio Pertinaci Aug. Arab. Adiabenic. Parth. Max. Fortiſſimo feliciſſimo, Pontif. Max. Trib. Poteſt. XII, Imp. XI. Coſ. III. Patri Patriæ. & Imp. M. Aurelio Antonino Pio Felici Aug. Trib. Poteſt. VI. Coſ. III. P. P. Procos. fortiſſimo Feliciſſimóque Principi. Et Juliæ Aug. N. & Caſtrorum & Senatus & Patriæ & Imp. Cæſ. M. Aurelij Antonini Pij Felicis Aug. Parthici Maximi Britannici Maximi. Argentarij & Negotiantes Boarij hujus loci Qui devoti Numini eorum Invehent.

In Arcu Veſpaſiani. Romæ.

S P. Q. R.

IMp. Tito Cæſ. Divi Veſpaſiani Filio Veſpaſiano Aug. Pont. Max. Tribunic. Poteſt. X. Imp. XVIII. P. P. Principi ſuo qui præceptis patriæ Conſilijſque & auſpicijs gentem Judæorum domuit & urbem Hieroſolumam omnibus ante ſe Ducib. Regib. Gentib. aut fruſtra petitam aut omninò intentatam delevit.

In

In arcu Septimij Severi. Romæ.

IMp. Cæſ. Lucio Septimio M. Fil. Severo Pio Pertinaci Aug. Patri Patriæ Parthico Arabic. & Parthico Adiabenico Pontif. Maximo Tribun. Poteſt. XI. Imp. XI. Coſ. III. Procoſ. Et Imp. Cæſ. M. Aurelio L. Fil. L Antonino Aug. Pio Felici Tribunic. Poteſt. VI. Coſ. Procoſ. P P. Optimis fortiſſimiſque Principibus ob rem publicam reſtitutam Imperiúmque populi Romani propagatum inſignibus virtutibus eorum domi foriſque S. P. Q. R.

Anconæ in portu Arcus Traiani.

IMp. Cæſ. Divi Nervæ F Nervæ Trajano opt. Aug. Germanico, Dacico, Pontif. Max. Trib. Pot. XVIII. Imp. IX Coſ. VI. P.P. providentiſſ. Principi S. P Q. R quòd acceſſum Italiæ, hoc etiam addito, ex pecunia ſua, portum tutiorem navigantibus reddiderit.

In arcu S. Viti Romæ.

Gallieno Clementiſſimo Principi, cujus invicta virtus ſolâ pietate ſuperata eſt: Aurelius Victor dedicatiſſimus Numini Majeſtatique ejus.

In antiquo Arcu haud longe à ponte Caſtelli: qui nunc non extat.

IMppp. Cæſſ. D. D. D. N. N. N. Gratianus Valentinianus & Theodoſius Pij felices & ſemper Auggg. arcum ad concludendum opus omne porticuum maximarum æterni nominis ſui pecunia propria fieri ornariſque juſſerunt.

In

In arcu quodam, qui nunc non extat.

IMppp Clementiſſimis feliciſſimis & toto orbe victoribus. D. D. D. N. N. N. S. Arcadio & Honorio & Theodoſio Auggg ad perenne judicium Triumphorum: qui Getarum nationem in omne ævum docuêre extingui arcum ſimulacris eorum Tropheiſque decorat & totius operis ſplendore Perfec. S. P. Q. R.

Sybilla ſcalpi juſſit has litteras in arcu quodam Romæ.

P. P. P. E. S. S. S. E. V. V. V. V. V. V. V.
F. F. F. F.

Quorum interpretatio hæc eſt:

Pater patriæ profectus eſt ſecum ſalus ſublata eſt, venit victor validus vicit vires urbis veſtræ ferro fame flamma frigore.

Venetijs arcui triumphali, an. 1574. in honorem Regis Galliæ & Poloniæ eò tum adventantis, hæc inſcripta fuêre.

FORIS.

HEnrico III. Franciæ atque Poloniæ Regi Chriſtianiſſimo & invictiſſimo Chriſtianæ religionis acerrimo propugnatori advenienti: Venetiarum Reſp. ad veteris benevolentiæ atque obſervantiæ declarationem.

A TERGO.

Henrico III. Franciæ atque Poloniæ Regi opt. atque fortiſſ. hoſpiti incomparabili: Venetor. Reſp. ob ejus adventum feliciſſ.

Arcus Triumphalis Norimbergæ erectus fuit Carolo V. cum his inſcriptionibus.

VERSUS FORUM.

IMperatori Cæſari Auguſto Carolo V. Hiſpaniarum Regi, &c. Archiduci Auſtriæ, Clementiſſimo ac feliciſſimo Principi S. P. Q. N. honoris & reverentiæ ergò P.

VERSUS ARCEM.

Victrices Aquilas, victricia ſigna potentis
Imperij, tibi quod Carole magne ſubeſt:
Norica venturo Reſpublica Cæſare gaudens,
Officium poſuit teſtificata ſuum.

SUPRA IMAGINEM. JUSTITIÆ.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos,
Convenit ingenio Cæſar ineſſe tuo.
Sentiat optatam per te tua turba quietem,
Subque jugum per te barbarus hoſtis eat.

PRUDENTIÆ.

Quòd tibi iam conſtans faveat victoria Cæſar,
Non modò fortunæ muneris eſſe puta:
Sacra ſed auguſtum moderans Prudentia pectus,
Hunc titulum laudis maluit eſſe ſuum.

FORTITUDINIS.

Sic per te tacitam capiat Germania pacem,
Ut tibi nunc animis carminibúſque favet:
Sic per te Geticus noſtris à finibus hoſtis
Pellatur, vires ſenſit ut antè tuas.

TEMPERANTIÆ

Inter opes tantas, inter tot regia ſceptra,
Quæ tu divino munere Cæſar habes;

Tem-

Temperat excelſam mitis moderatio mentem;
Principe quid tanto dignius eſſe queat?

Alius ibidem erectus fuit Maximiliano II. an. 1570. cum his inſcriptionibus;

Verſus Forum.

IMperatori Cæſari Auguſto Maximiliano II. Germa Hunga-Bohem. Sclav. Regi, Archiduci Auſtriæ, Clementiſſimo ac Feliciſſimo Principi S P Q N. honoris ac reverentiæ ergò poſuit.

Verſus Arcem.

EN, Regina avium pennis nigrantibus alas
Explicat, & geminum tollit ad aſtra caput:
Sic tua Majeſtas, tua gloria, Cæſar, Olympum
Compleat. & ſolus pulſet utramque domum.

SUPRA IMAGINEM JUSTITIÆ,

Verſus forum.

Sic commune bonum, Cæſar, ſic jura tueris,
Pro merito ut quivis, te tribuente, ferat.
Juſtus es, Auſtriaco digna eſt hæc ſanguine virtus:
Hoc Pater, hoc patruus nomine magnus erat.

SUPRA IMAGINEM PRUDENTIÆ,

Verſus forum.

Judicium ratio ſtabilit, ſolertia mentem
Exacuit, gravitas intima ſenſa movet.
Hinc nihil indignum ſceptro, nec inutile volvis,
Nil inconſulto pectore, Cæſar, agis.

SUPRA IMAGINEM FORTITUDINIS,

Verſus arcem.

Turca ferox ſævit, gelidóque profectus ab Iſtro
Vaſtat & immani cæde cruentat agros.

Forti-

Fortiter hunc Cæſar cohibe, defende Penates,
Pelle Pharetratos, vindice Marte, Getas.

SUPRA IMAGINEM TEMPERANTIÆ, Verſus Arcem.

Sic geris imperij faſces, ut mitior alter
Te non ſit, vires & moderare tuas.
Hoc agis, ut leges populi, pacémque ſequantur,
Et qui te metuant, te quoque Cæſar, ament.

Arcus Triumphalis, quem Flandri Inſulani erexerunt, cùm iſthac tranſiret Philippus Rex Hiſpaniæ, inſcriptio, ſub imagine Caroli V. Cæſaris.

QVis te victorem dicat, qui vinceris ipſe,
Invictus victo Cæſar ab hoſte tuo?
Si veniam victus petit hoſtis, protinus illi
Parcis, & errati te meminiſſe piget.
Non te hoſtis, Cæſar, ſed te clementia vincit,
Et ratio, cùm ſis victor & ipſe tui.
Vincere laus ingens hoſtes, & parcere victis,
Gloria ſed ſeſe vincere major erit.

Arcuum Triumphalium Patavij.

In Ingreſſu Arcûs.

MAriæ Auſtriæ Rom. Imp. Piæ. Aug. Divûm Imppp. Caroli V. filiæ, Ferdinandi I. nurui, Maximil. II. conjugi, Sen. Ven. Majeſtatis ergò.

In Exitu.

MAriæ Rom. Imp Piæ Aug. Rudolphi II. Imp. matri, Philippi II. Hiſpan. omn. Siciliarum, Algar. Indiar. Max. Regis ſorori, Sen. Ven. honoris ac dilectionis ergò. *In*

In prima facie ſecundi arcus.

Sublimi regum & Imperatorum natæ, ſorori, nurui, conjugi & parenti, præſidentes D. Antonij exiguis viribus hæc humilia erexêre trophæa.

In ſecunda facie.

Exultat Divus Antonius adventu Sereniſſimi luminis in urbem hanc, mox Hiſpaniam ſuam patriam illuſtraturi; & ſui gaudij hæc externa edit ſigna.

In prima fronte tertij arcus.

Mariæ Auſtriæ, Reginæ piæ, Catholicæ, Imperatrici ſemper Auguſtæ, Reſp. Ven. probitatis ac amplitudinis cauſâ.

In poſteriore parte.

Reginæ Chriſtianiſſimæ Imp. Regum Imperator: longo & perpetuo ordine filiæ, nepti, nurui, conjugi, matri, ſorori, Reſp. Ven. religionis ac dignitatis cauſâ.

Arcus Triumphalis in Dedicatione Eccleſiæ Metropolitanæ Salisb. an. 1628. erecti.

DIvo Ruperto Norici Apoſtolo, Salisburgenſium Epiſcopo, ſuis in cineribus triumphanti, hanc portam aperuit Capitulum Metropoleos Salisburg.

Ex altera parte.

S. Virgilio ultima in Hybernia orto ſideri Juvavienſibus clariſſimè prælucenti poſuit Capitulum Metropol. Salisburg.

Alterius arcûs.

D. Ruperto, Magno, Boiorum, Apoſtolo eximio.

eximio. S. Benedicti. Monacho. poſuerunt. Muſæ. Salisburgenſes.

Ex altera parte:

D. Virgilio. Illuſtri. Hyberniæ. jubari. magno. Juvaviæ. Antiſtiti. LL. VV. DD. Muſæ Salisburgenſes.

Arcus Triumphalis Salisburgi ante Portam Linzenſem, ſeu S. Sebaſtiani, Leopoldo I. Imp. anno 1665. tranſeunti erectus fuit: cujus vertici inſiſtebat Aquila Coronam gerens Cæſaream. Ex utroque latere erant ſtatuæ Julij Cæſaris, Hadriani, Marci Aurelij Antonini, Theodonis Ducis Bavariæ, Caroli Magni, & Henrici Imp.

Inſcriptio hęc erat.

ERgo ades Divûm cura; Leopolde Auguſte, ſic ſalutant de triumphali arcu laureati vertices, quibus à M. DCC. annis cœpta, aucta ſacrata Juvavij caſtra, & arces: aſſurguntq; Auguſtæ imagines, & ad primas alpium fauces, quas olim ad propulſandos Barbaros, & Romani Imperij ſecuritatem occludi, obfirmaríque docuerunt, præſentant claves. Perge ad Imperia antiqua, Regiam monſtrant viam.

Inſcriptio Arcus Triumphalis erecti à Novocomenſibus Ferdinando Auſtriaco S. R. E. Cardinali ex Italia in Belgium diſcedenti.

Illabere Novocomenſium oculis
Ferdinande,

Quo-

Quorum pridem in animos deſcendiſti,
His etiam è vallibus
Majeſtatem tuam Eminere par eſt.
Lætitia noſtra argui
Non ex defectu debeat, ſed ex cauſa
Ex eodem nobis fonte
Et creſcunt gaudia, & decreſcunt,
Nos minus exhilaras veniens,
Quia jam exanimas diſceſſurus,
Extremam hic Italiam aſpicis
Quæ tibi tota trophæum eſt,
Utinam abſentiæ tuæ damna non ſentiat,
Quæ tot hauſit à præſentia commoda.
Sed quæ tua felicitas eſt,
Dare ſuam Belgio potes,
Aſque eo quod à nobis repetas,
Quam dediſti.
Tuis igitur devota meritis, ſecura victorijs
Hoc ſibi, & tibi impar obſequium,
Uno corde, multiplici nomine
Novocomenſium Civitas
Poſuit.

Inſcriptio arcûs Triumphalis, cùm Mediolanum Eminentiſſimus Cæſar Montius Archiepiſcopus & Cardinalis ingrederetur.

Aſſueviſti victorijs, Cæſar,
Aſſueſce triumphis:
Et Cæſarem, & privatum eſſe non licet.
Ad primæ Romæ regimen
Per ſecundam aſcende,

 Ad

Ad te ſublimia quæque ferentur, ut creſcant.
Eminentia titulus alijs,
Monti etiam natura eſt.
Si virtuti præmia non reſpondeant,
Merentis gloriam crede,
Non tenacitatem debentis.
A te victa patria eſt;
Vel uni civium honeſtando non ſufficit,
Triumphat tamen adhuc illa tecum,
Imò de te,
Quæ modeſtiam tuam vicerit votis ſuis.
Ingredere igitur,
Et Inſubriam tuam inde etiam felicem ſcias,
Quod iterum Cæſaris ſedes eſt.

Arcus triumphalis Niceæ.

Fecialibus pacis ſuæ Sponſis
Sereniſſimis Sabaudiæ Principibus,
Mauritio, & Aloyſiæ Mariæ,
Senatus populúſque Nicienſis,
Pro Jani foribus clauſis
Has triumphales aperuit.

Inſcriptio Arcus triumphalis, cùm Calendis Jan. anni M.DC.XXIII. confecto in Sectarios bello, urbem Pariſiorum ingrederetur Ludovicus XIII.

LUdovico XIII. Chriſtianiſſimo, Pio, felici, Victori, P. P. avita Religione omnibus Imperij finibus reſtituta, debellatis terrâ, maríque perduellibus, expugnatis, ſeu vindicatis aucto-

ritat

ritati regiæ centum urbibus, caſtellis,præſidiiſq; innumeris, pace parta,poſt tam felices ſucceſſus urbem intranti, Præfectus, atque Ædiles Numini, Majeſtatique ejus devotiſſimi P. D. cIↄ. Iↄc. XXIII.

Camberij id arce.

D.D. Principibus pijſſimis
Victori Amadeo & Chriſtianæ,
Tranquillitatis & lætitiæ publicæ
Vindicibus
Votivum felicitatis
Carmen.

Vivo longævi felices vivite amore:
In veſtro populi vivet amore ſalus.

Ad dextram ſtatua Prudentiæ:

PRUDENS SIMPLICITAS.

Ibi Principis effigies: Victor Amadæus, bellator pacisque lator fortiſſ. prudentiſſ. hoſtium ſuiq; victor invictiſſimus, Henrici Gallorum Magni Regis voto peracto, ſociatâ Sybillâ Carolo Emmanueli Patri.

Ad ſiniſtram.

CASTA PUDICITIA.

Ibi ſponſæ Ducis effigies. Magno Sabaudiæ Duci, quod felix fauſtúmque ſit, ducit Regiæ conjugi triumphales arcus. Lancei Marchio Ciſmontanæ Eparchus Provinciæ, intemeratæ fidelitatis argumentum poſuit.

Utriuſque, ſponſi & ſponſæ Pedibus ſubſcriptum.
Auſpex huic facto DEUS huic & pronuba virtus.

Viennæ in Gallia Arcui triumphali inſcriptum :

FEliciſſimo & exſpectatiſſimo adventui Ludovici XIII. Gall. & Nav. Regis Chriſtianiſſ. primæ fortunæ herois invictiſſimi de perduellibus triumphantis, favente cœlo, geſtiente terrâ, horâ ridente, S. P. Q. Viennenſis arcum pietatis ſuæ obſidem, amoris indicem, ad perpetuum obſequij monumentum.

E. A. P.

Norinbergæ poſt ratam Germaniæ pacem, anno 1650.

FERDINANDO III.
Rom. Imp, ſemper Auguſto.

Qui Janum clauſêre, duos nunc poſterus orbis
Auguſtos numeret. Romæ olim Octavius, alter
Ferdnandus jam noſter erit, qui ſæcula vivat.

FERDINANDO III,
Rom. Imp. Pacifico,

Jactarint alij titulos & ſymbola belli;
Virtus Pacificum te, Cæſar, in orbe ſalutat.
Hac tu voce Atavûm ſuperas Encomia priſca.

FERDINANDO III.
Rom. Imp. Patri. Patriæ,

Qui Patriam belli ſub tanta mole ruentem
Elevat, & pacis revocatæ munere donat,
Dicendus verè Cæſar, magè ſed Pater orbis.

FERDINANDO III.
Rom. Imp. Pio.

Involvat cùm Pacis amor Pietatis amorem,

Incly-

Inclytus hinc Cæſar benè Divûm jungit honori
Pacis onus, numénque colit, regnúmque quietat.

FERDINANDO III.
Rom. Imp. Felici.

Hæc te ſors, Cæſar, beat, ut nunc Pace fruiſci
Perpete nos facias, Majoribus antè negatâ,
Hæc te poſteritas æternum ſorte notabit.

FERDINANDO III.
Rom. Imp. Forti.

Pulchrum ab utroque decus. Poſt laurum cingis olivo
Tempora. In ambiguo eſt, Cæſar, quo nomine vincas,
Nos armis tueare, regas in Pace, precamur.

FERDINANDO III.
Rom. Imp. Clementi.

Princeps æquatur ſuperis, ignoſcere culpam
Cui volupe eſt. Tu pácatas te Numine terras
Hac virtute Regis. Sic, Cæſar Divus haberis.

FERDINANDO III.
Rom. Imp. Juſto.

Pœnæ frena malis, magnum ſed præmia calcar
Digna bonis. Lancem prenſat Ferdnandus utrámque.
Cæſare ſed dignum magè ducit, ferre brabeia.

CHRISTIANÆ ALEXANDRÆ.
Suecornm Reginæ,
Auguſtam Taurinorum ingredienti.
17 Kal. Novemb. Anno 1656.

Arcus Triumphalis erectus fuit, cujus anteriori parti hæc erat inſcriptio.

Phœnicem viſere quiſquis avet,
Huc eat.

Hanc

Hanc molli in Arabia nidulari,
Fabula eſt;
Regnante Claudio Romæ viſam,
Ne credas.
Alexandro ſeptimo auſpicante
Romam primùm adventavit.
Unam eſſe tandem qui putat,
Malè computat.
Regnantum, Sapientum, Bellatorum,
Virginum Phænix,
Quadruplex & unica Phænix
Chriſtiana Alexandra,
Magni Guſtavi Filia.

Triumphalis arcûs poſtico.

Adamantinum depange Clavum,
Taurinorum Auguſta:
Diémque memorabilem
Æternis infige Faſtis.
Chriſtiana Alexandra
Suecorum, Gothorum, Wandalorum,
Regina ter Auguſta,
Triumphale hoc ingreſſa limen,
Tria regna in triumphum rapuit,
A ſe abdicando.
Magno Alexandro Major Alexandra.
Ille aliena occupans regna,
Cœleſtium regnorum deſperatione flevit;
Hæc, Cæleſtia ut acquireret,
Abjecit ſua.

Emmanuel Theſaurus.

In

IN
CAROLI EMMANUELIS
ET
FRANCISCÆ A FRANCIA,
REGIORUM CONIUGUM
Publica Receptione,
Auguſtæ Taurinorum Prid. Idus Majas 1663.

Erectus arcus triumphalis ab Regia Cameræ Quæſtoribus, ſub titulo Aurei Sæculi. Quod in anteriore molis fronte ſuſpenſa ſignificabat Inſcriptio;

Caroli Eman. & Franciſcæ à Francia,
Sab. Ducum, Pedem. Principum, Cypri Regum,
Optatiſſimo ex Conjugio;
Ætatis aureæ
Redivivam ſibi, ac Populis felicitatem,
Regia Computorum Camera,
Hac fidelitatis obſequiique teſſera,
Lætabunda ominatur.

Averſa molis facies hanc ex Anagrammate utriuſque ſponſi prætulit inſcriptionem:

Carolus Emanuel, & Franciſca.

Anagramma Epithalamicum.

Canam: Flores luceſcant aurei.

Epigramma,

Si læta Flores terra perpetuos tulit,
Aſtræa rerum Præſide:
Beata Regi ſæcula Alpino augurat

Aſtreæ acceſſus Franciæ.
Hinc nomina illigando, præſagus canam:
Flores luceſcant aurei.

SECUNDA MOLES

Junonis Pronubæ Templum,
Subalpinorum ſumptu, in extero Pomerio ante portam novæ urbis, occurrebat. Hujus anterior Inſcriptio erat;

Tibi, Auguſta parens, ac Pronuba Juno,
Quod Caroli & Franciſcæ
Regali nodo ter inenodabili,
Nutantem Familiæ, Regníque fortunam,
Olim fortiſſimè conſervatam,
Firmiſſimè colligaſti:
Subalpinæ gentes gratias agunt:
Téque ex Junone, Lucinam rogant.

A dexro latere alia inſcriptio ſic habebat.

Macte tuis nodis, ſanctiſſime Hymen,
Qui Carolum & Franciſcam,
Cœleſtes animas, uno captu implicuiſti.
At majorne tua, an amoris Gloria?
Vinciri facilè poſſunt, quos amor vicit.
Quin gemina tibi debetur gloria.
Quod uno nexu amantes exuiſti, & amorem:
Ut, avolare ſi velit, nequeat: ſi poſſit, nolit.

A lævo latere, ad locum prope Eridanum Inſcriptio alludebat:

Olæta Fatorum Antiſtrophe!

Ubi

Ubi Taurinæ urbis Rex Phaëthon
Luctificæ devius Auriga Lucis
Præcipitem in Eridano ſolem ſubmerſit;
Felicior Phaëthonte Regnator Carolus,
Æthereo clariorem advehit ſolem.
Ergo ubi extinctum illum populi flevêre,
Hoc affulgente, geſtiunt populi.

TERTIA MOLES

Libra,

Quæ Regij Senatûs erecta ſumptu, novam urbem ingreſſis in conſpectum ſe dabat. Tituli autem rationem præcipua declarabat inſcriptio:

Franciſcam à Francia,
Quòd ſole libram irradiante,
In ipſo noctis atque lucis libramento nata,
Ne orbem quidem ingredi voluit, niſi juſtum;
Et Sideream æqui juſtíque libram
animo deferens;
Caroli Emmanuelis, juſtiſſimi Principis,
Regno affulſit,
Regnis Subalpinorum Senatus,
Sanctiſſimum veluti juſtitiæ Numen,
è cœlo redditum terris,
Feliciſſimè recipit, fideliſſimè colit.

In aurea molis fronte, Juſtitiæ Comes Clementia ſuum quoque decus exegit in Inſcriptione:

Juſtiſſimis Regibus
Conſanguineum quoque juſtitiæ Numen
Plaudat Clementia,

Quæ

Quæ ſola Regem à Regulo,
Principem à Tyranno diſtinguit.
Eadem gerit uterque arma:
Sed ille, ut noceat; hic, ut poſſit nocere:
Ætherio Regi ſimilis,
Qui non ſemper fulgurat, cùm fulget,
Et latiùs terret, quàm feriat.
Neque juſtitiæ libram flectit.
Pœnarum enim graviſſima eſt pœnitentia:
Et innocentiam docet nolle nocere.

QUARTA MOLES

Regàlium Virtutum Pantheon,
In area ante Regias ædes.

In anteriore molis facie hæc eminebat Inſcriptio:

Ades Cypri Regina.
Poſt triumphales arcus,
Olympum, Cyprii Regni Caput,
Pro Capitolio ſcande.
Ubi cedente olympici Fani profana gloria;
Uirtutum omnium Pantheon invenies,
Teipſam.
Nam virtutes omnes colit, qui te unam colit.

Ut verò triumphali huic pompæ ſacram Sindonis pompam interſereret, inſcriptionis formam averſa in molis fronte immutavit;

Avete Cypri Reges,
Carole & Franciſca,
Quorum feliciſſimo adventu

Cyprio-

Cypriorum Regum ſepultæ umbræ
Sepulcra excuſsêre.
Jam veſtro ex conjugio Thracium jugum
Eluctaturam ſe fugit captiva Cyprus.
Quis enim Cyprium deſpondeat
Triumphum,
Quibus jam Deus pro victoriali Arrha
Triumphale ſuæ ſindonis vexillum
E Cypro oppigneravit?

Quinta Moles,

Vota.

Ante Templi faciem.

Populo quiete, aris Religione reſtituta,
Quod unum dederat votis,
Connubium Principis expleſſe;
Et Gallicarum conjugum Serto,
Subaudis auſpicatiſſimo,
Decumanum liliorum florem
Feliciter acceſſiſſe:
Michaël Beyamus Archiepiſcopus Taurinenſis,
Gratulabundus vota ſolvit,
Et è floribus frugem vovet.

Ultima Moles

Martis Taurus,

Inſcriptio:

Domitore amore,
Flammivomus Martis Taurus,
Theſſalici Ducis, & Colchidis Heroinæ,
Aman-

Amantium conjugum, ultrò amat jugum;
Et lætioribus ſe flammis adolet.

Emmanuel Theſaurus.

Arcûs triumphalis, Romæ in Capitolio Gregorio XIV. Pont. Max. erecti, inſcriptiones.

Ab illa parte, quà proſpectus eſt in aream Degli Altieri, ſcriptum erat:

GRegorio XIV. ob egregia & felicia Pontificatûs auſpicia, priſtina munera & beneficia Capitolio reſtituta, civitatem egeſtate atque annonâ laborantem opportunâ liberalitate ſublevatam, inſignibus ejus virtutibus. S. P. Q. R.

Quà Capitolium reſpiciebat, hæc inſcriptio legebatur:

Optimo Principi Gregorio XIV. Pontifici Maximo, ab ineunte ætate per gradus veræ ſapientiæ, pietatis, beneficentiæ, cæterarúmq; virtutum ad Apoſtolici faſtigij gloriam, & majeſtatem, evecto: ob fauſta ſacri Auguſtiq; Principatûs initia, & non dubiam ſpem rerum maximarum Reipublicæ Chriſtianæ oblatam, S. P. Q. R. fornicem triumphalem pro tempore excitavit.

Lovanij, in adventu Sereniſſ. Belgij Principum Alberti & Iſabellæ, *ad portæ ingreſſum* M. D. XCIX. VIII. Kal. Decemb.

Octaviani Auguſti in urbem adventu;
Corona iridis ſpecie circa ſolem apparuit,
Novæ potentiæ, Novæ

Novæ pacis auſpicium.
Hanc vobis ô Principes noſtri S.P.Q.Lovanienſis
In ipſo ingreſſu dedicat
Novæ potentiæ
Novæ pacis auſpicium.
Sol vobis ab Heſperia fulſit
Circa eum & ab eo corona
Provincijs variegata; Iridis ſpecie refulſit.
O fauſta firmáque iſta ſint?
Et tu ille utrumque orbem,
Vos iſti noſtram Belgicam
Salutari luce perfundite;
Vitam & vigorem reddite,
Heu bellis civilibus amiſſum.
Deus & Superi vota noſtra audite,
Vos Principes obſequia admittite
Quæ fideliter & æternùm defert
S. P. Q. Lovanienſis.

Ante D. Petri Propyleum.

Arctius atque hedera procera adſtringitur ilex
Lentis adhærens brachijs,
Nos Alberte tibíque, tibíque Iſabella, ligamur
Belgæ perennanti fide.

In arcu triumphali ad lævam domus Senatoriæ.

Brabantia prima Provinciarum,
In triplici ſuo ordine
Antiſtitum, Nobilium, Civium,
Sereniſſimos, potentiſſimóſque Principes
Albertum, & Iſabellam Duces ſuos
Læta fronte ſuſpicit, Devo-

Devota mente ſuſpicit,
Et fidem obſequiúmque
More & Candore majorum
Æternum fovet.

Ibidem.

AD ALBERTUM.

CÆſarea de ſtirpe genitus, virtutibus ipſam
Qui ſtirpem ſuperas, latúſq; volénſque venito;
Suſcipe Belgica ſceptra arcani munera fati,
Suſcipe & æterno populos ut fœdere firmes,
Accipe, dáque fidem, Dea cana hæc alligat orbem.

AD ISABELLAM.

QUæ cœleſte decus generis cœleſtibus æquas
Moribus haud ſuperas, ſidus quod ſplendet in orbe
Occiduo, radijs tu noſtras pelle tenebras:
Da pacem ſexus pacate, & Belgica Regna
Suſcipiens, ſerò ad ſeros tranſmitte nepotes.

Ante D. Quintini portam interiorem.

Sereniſſimi Principes,
Andromeda Cephei, & Caſſiopeæ filia
forma & annis florentiſſima
Ob maternam jactantiam
In ſcopulo alligata ceto exponitur,
Sui impos, ſpei expers.
Perſeus Jovis progenies
Pegaſo alato vectus
Harpe adamantina armatus
Scuto Gorgoneo munitus
Orci galeâ tectus,

Atque

Atque hæc omnia conſilio vel auxilio Minervæ,
Adeſt, miſeratur, ſubvenit,
Monſtrum Pegaſi ope occidit,
Andromedam toro ſibi jungit,
Et cum læta lætam ætatem agit
Liberis, Nepotibúſque felix.
At Belgica hæc veſtra Andromeda eſt,
Fortuna & opibus olim floretiſſima,
Nunc ob majorem ſuperbiam & luxum
Maximis fluctibus & monſtris expoſita,
Sui impos, ſpei expers.
Tu Alberte Cæſarum progenies
Heſperio Pegaſo ſubvectus,
Harpe militiæ armatus,
Scuto pietatis munitus,
Galeâ prudentiæ tectus,
Atque hæc omnia vel conſilio vel auxilio tuæ
Minervæ.
Ades, miſeraris, ſubvenis.
Monſtra Pegaſi ope ſubmoves,
Belgicam ſub ditione tuam habes.
Cum læta igitur lætam ætatem age
Liberis, nepotibúſque felix.
Quod apprecatur & ſuſpirat
Sacrâ devotione veſter
S. P. Q. Lovanienſis. *J. Lipſius.*

Cracoviæ, in ingreſſu Regiæ ſponſæ Annæ Auſtriacæ arcus triumphalis erectus fuit, cum his inſcriptionibus:

Sereniſſimæ Principi Annæ Auſtriacæ, Reginæ

Poloniæ, divinis auſpicijs urbem ingredienti S.P.Q.C. ſubjectionis & obſervantiæ ergo poſuit.

Ingredere ô felix hac Regna & mœnia Crachi
Illuſtre Auſtriaci germinis Anna genus.
Felix quæ pacem populis & fœdera firma,
Gentibus apportas, dulcis amicitiæ.
Euge, Sigiſmundo victori Gratia nubit,
Montibus in celſis edita Pannoniæ.
Quid? niſi chara ſalus nobis & copia rerum
Speranda eſt Stirpis digna propago ſuæ?

AREOLA XV.
INSCRIPTIONES PORTARUM.

Romæ in Porta Calimontana:

GRegor. XIII. P. M. publicæ utilitati, & urbis ornamento viam Campanam conſtravit, portam exſtruxit. Anno M. D. LXXIV. Pontif. III.

Francofurti ad Manum in porta ad pontem qui Mœno impoſitus, ſupra inſigne Aquila:

NIl Deus in terris donavit Cæſare majus,
Auſpicijs cujus ſtat decus Imperij.
Ergo Aquilam hanc totum Victricia ſigna per orbem
Fac placidus foveas qui regis Imperium.

Veronæ in porta nova urbis.

VEronà non minùs nobilis, quàm antiqua civitas, ac priſcæ virtutis memor, Venetæ Reipub. beneficio non ſolùm muros, injuriâ temporis corruptos, in melius reſtituit; ſed ea quoque ſibi templorum, viarum, pontium ac portarum ornamenta adjecit; ut publicorum ædificiorum magnificentiâ, nulli urbium poſtponenda videatur. Tantum illi profuit bonorum Principum tutela ac favor.

Bremæ in porta Eoa.

CIivitas pro ſaxis & mænibus incolentium virtute munienda eſt; quos ſi jungat concordia, nullus poteſt eſſe murus inexpugnabilior.

In Porta S. Anſcharij.

Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Oppida, nec virtus altiùs ire poteſt.

In porta Surdorum.

REſpublicæ, poſt Deum, nullo munimento tutiores ſunt, quàm virtute civium. Civis verò is eſt, qui ſincerè patriam diligit, ac bonos omnes ſalvos incolumeſque deſiderat.

In Porta Pontana.

Conſerva Domine Hoſpitium Eccleſiæ tuæ.

Porta Populi. Romæ.

PAulus III. P. M. portam in hanc amplitudinem extulit, viam Flaminiam ſtravit.

Romæ in porta Portuenſi.

IMpp. Cæſ. DD. NN. Invictiſſimis Principibus Arcadio & Honorio Victoribus & Triumphatoribus ſemper Augg. ob inſtauratos muros, & turres egeſtis inmenſis Ruderibus, è ſuggeſtionibus V. C. & inluſtris militis & Magiſtri utriuſque militiæ ad perpetuitatem Nominis eorum ſimulacra conſtituit.

Toleti in Hiſpania.

ERexit fautore Deo Rex inclytus urbem
Bamba, ſuæ celebrem protendens gentis honorem.
Vos Domini ſancti, quorum hic præſentia fulget,
Hanc urbem & plebem ſolito ſervate favore.

Romæ in porta Pij IV.

PIus IV. Max. portam ſublata Nomentana extruxit. Viam piam æquata alta ſemita duxit.

Ad S. Mariam Majorem.

GRegorius XIII. Pont. Max. Eugenij labentem porticum dejecit, & magnificentiùs reſtituit, viam rectam ad Lateranum aperuit, anno Jubilæi M. D. LXXV.

Patavij in porta Portelij.

HAnc antiquiſſimam urbem, literarum omnium aſylum, cujus agrum fertilitatis ſumen natura eſſe voluit, Antenor condidit, anno ante Chriſtum natum M. C. XVIII. Senatus autem

autem Venetus his belli propugnaculis ornavit, anno à Chriſti adventu M. D. XVIII.

In porta Civitatis Florentiæ.

CArolus V. Cæſar Aug. cùm inſigni omnium Chriſtianorum beneficio immanem archipiratam regno Tunetano pepuliſſet fugâſsétque, Siculo, Neapolitano ſuis regnis conſtitutis; Româ profectus Florentiam, hanc portam cum magna pompa ingreſſus, populo cunctо præ lætitia geſtiente, ab Alexandro Medices civitatis Duce, cui Margaritam filiam deſponderat, illuſtri apparatu, Regalique hoſpitio Mediceas in ædes acceptus eſt, Anno Domini M. D. XXXV. Id. May.

Viennæ apud Scotos, in porta Conventus:

JOannes Abbas Scotenſis, inſtauratâ Conventus fabricâ, hanc portam aperuit, vitámque clauſit, Anno M. DC. XXXXI.

Sterzingæ in Tyroli, in porta urbis.

NIſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.

Bredenbergæ inſcriptio Portæ.

SI nihil ædificas qui ſpectas noſtra, viator,
Aut mea ne carpas, aut meliora ſtruas.
Si meliora tenes; id Divos poſcito mecum,
Ne, quod uterque tenet, faſcinet invidia.

Ibidem.

Janua ſinceris ego nunquam claudor amicis,
Oſorem ſemper clauſa ſubire veto.

Antverpiæ in porta Caſarea.

PLUS ULTRA.

CArolus V. Cæſ. hanc portam primus mortalium introgreſſus Cæſaream nuncupavit, die XXV. Nov. Anno clɔ. Iɔ. XLV.

Cui adpoſita alia inſcriptio :

Alberto & Iſabellæ per majorum veſtigia Antverpiam ingredientibus, & eorum exemplo piè ac prudenter recturis, S. P. Q. A.

Franeckeræ in porta Harlingenſi.

URbs hæc eſt Chriſto, Paci, Muſiſque ſacrata :
Ergo bonos tantùm, non amat illa malos.

Ambiani in Gallia portæ novæ ad Caſtellum inſcriptio eſt :

UT beneficum ſidus, Henrici IV. vultum poſteri nôrint ; quem urbs & orbis Gallicus Regem ac liberatorem habet.

Roterodami in porta, quâ Durdrechtum exitur, hæc epigraphe:

Eſt Leo CVnCtI potens pVLChra qVi Manla portæ
SerVabIt, qVa RottafLVIt, qVa terra VIreſcIt.

Salûburgi porta vulgò Linzenſis :

DEO OPT. MAX. DIVISQVETVTELARIBVS ADSPIRANTIBVS.

PAris ex Com. Lodroni Archiepiſcopus & Princeps Salisburgenſis S. Sedis Apôſtolicæ Legatus. Juvaviam ſaxeis his molibus & propugnacu-

gnaculis atque aggere perpetuo communivit. Montium devexa, vaſtáſque rupium crepidines, nequid ſecuritati deeſſet, ferro & vectibus præcipitavit, Divóque Ruperto Fundatori dedicavit. Anno M. DC. XXIIX.

PATRIÆ ET AMICIS PRÆSIDIO
HOSTIBUS OBSTACULO.

Ibidem portæ S. Sebaſtiani:

DIVO SEBASTIANO PROTECTORE
MARCUS SITTICUS

SAlisburgenſis Archiepiſcopus & Princeps corruentem portam urbi decoro, & civibus præſidio à fundamentis in hanc firmitatem reædificari curavit, Anno M. DC. XIII. Principatûs verò II.

Ibidem, portæ, quâ aditur mons Capuccinorum:

Sancte Franciſce,
Domum tuam
Piè accedentes protege.
Anno Domini M. DC. XVII.

Inſcriptio alterius portæ montis Capuccinorum Salisburg.

Feliciſſimo pauperi B. Felici Capuccino,
Hæc ſaxea montis ſepta
Ut felicia, ut invicta ſint, dicat
Pariſè Com. Lodroni Archiep. & Princ.
Anno M. DC. XXXII.

Inſcriptio portæ S. Erntrudis, Salisb.

Tibi D. Erntrudi hæc publicæ ſecuritatis adjumenta à ſe extructa nuncupat PARIS è Comit. Lodroni Archiep. & Princ. Tu operi, quod tua templa, tuáſque è vicino Sorores tuetur, de cælo robur concilia. Anno Salutis M. DC. XXXXIV.

Ibidem in porta ad Salſam.

Urbis Cuſtodiæ, & Civium paci,
Archiepiſcopus Paris ex Com. Lodroni
F. Anno M. DC. XXXXI.

Ibidem, ad portam S. Virgilij.

D. O. M.

D. Virgilij honori, | Hæc condidit mænia
Suorum Civium Saluti, | Paris ex Com. Lodroni
Suo in cives amori, | Archiep. & Princeps,
ANNO M. DC. XXVII.

Ibidem, portæ S. Joannis Baptiſtæ am Stajn.

Præcurſori Domini Joanni Baptiſtæ
Hanc portam reciſâ rupe, inciſâ foſsâ,
Aſtructo vallo, munitam,
Atque è tenebris, anguſtiiſque eductam,
Sacram eſſe jubet
Paris è Com. Lodroni Archiepiſcopus
Anno M. DC. XXXIV.

Ibidem,

Ibidem, porta Millenſis, vulgò Clauſenthor.

Marco Sittico Archi-
Epiſcopo & Principe,
Senatus Salisburg. publicæ
Securitati condidit. An. M.DC XII.

Porta apud Xenodochium Ciuium, ibid.

Marcus Sitticus
Ex Altaembſijs Comitibus
Archiepiſ. & Princeps
Indecoram priùs & anguſtam
Portam in hanc amplitudinem
aperuit & ornavit
An. Domini M. DC. XIII.

Ex altera parte.

Publico decori
Marcus Sitticus
Salisburgenſium Præſul
erexit An. M. DC. XIII.

Lugduni in Gallia Porta Athenaica, ducens ad confluentes Rhodani & Araris, habet hanc inſcriptionem:

QUà Rhodano fert dives Arar, quà dividit Orbi,
Alter opes, nova quà facies aſſurgit Athenæ,
Annibal, Auſoniæque acies & caſtra loquuntur,
Sub fido Francorum oculo cuſtode Leonis.

LUDOVICO XIII. REGN.
Maria de Medicis matre regent.
Carolo de Neufville D.D. Halincourt Prorege meritiſſ. Baltaſ. de Vilars D. de Laval. mercat.

Præfect. illm. Alcy. Boulliod. Hor. Cardon. CL. Pellot. Ant. de Pure. Coſſ.

Anno cIↄ. Iↄc XI.

Ibidem in porta S. Georgij.

Numinibus
Auguſtorum
Lcenius Ruffus
Et Lcenius
Appollinaris
Filius.

Extra Lugdunum Villa eſt (La Duchere.) ubi in porta quadam:

Pulchra, niſi abeundum eſſet.

Paulò inferiùs.

Intravi ut exirem.

Januæ Conclavis inſcriptum.

Hîc ſtatio eſt; alibi portus.

Supra aliam Januam picta eſt Juſtitiæ & Pacis imago, cum lemmate:

Vivitur hic tuto Divis cuſtodibus iſtis.

Gratianopoli Portarum inſcriptiones:

Prima dicta eſt Romana Jovia, Diocletiano dedicata, qui Jovi ſe æquiparare rebus ſuis geſtis non erubuit. Talis ejus inſcriptio:

D. D. NN. Impp. Cæſ. Cajus Aurel. Valerius Diocletianus P. P. invictus, Auguſtus & Imp. Cæſar M. Aurel. Valerius Maximianus, Pius, Felix, invictus, Aug. Muris Cularonenſibus,

bus, cum interioribus ædificijs, providentia ſua inſtitutis atque perfectis, portam Romanam Joviam vocari juſſerunt.

Altera dicta Viennenſis Herculana, Maximiano dedicata, qui Hercule ſe non inferiorem exiſtimabat: ejus hæc inſcriptio:

D D. NN. Imp. Cæſ. Cajus Aurel. Valerius, Diocletianus PP. invictus, Aug. & Imp. Cæſar. Marc. Aurel. Valerius Maximianus, Pius, Felix, invictus. Aug. muris Cularonenſibus cum interioribus ædificijs providentia ſua inſtitutis, atq; perfectis, portam Viennenſem Herculeam vocari juſſerunt.

Novæ portæ ſunt V. I. La porte de Bonne; cui hæc inſcripta ſunt:

ÆTernæ memoriæ Henrici IV. Gall. & Nav. Regis Chriſtianiſſ. verè Auguſti, op. Clementiſſ. fortiſſ. feliciſſimique regni Gall. inſtauratoris, patriæ patris. Quòd Franciſci Bonnæ Lediguerij virtute, fide, manu, ſenatui auctoritatem, civitati patriæque univerſæ pacem reſtituerit, urbem novo pomærio amplificârit, civitas & patria gratitud. monum. P. cIↃ. IↃ. XCV.

II: La porte regale, ou de France. Cui talis eſt inſcriptio in marmorea tabula:

LUdovicus XIII. Gallorum & Navar. Rex, pius, felix, invictus, Gratianopoli monte auctâ, ejúſque muris, propugnaculis, & interioribus ædificijs providentiâ ſuâ, & curâ Franciſci

Bonnæ

Bonnæ, Ducis Digveriarum, Paris & Mareſchalli Franciæ, Proregis Delphinatûs, inſtitutis atque perfectis, portam hanc regiam vocari juſſit. M. DC. XX.

III. S. Laurent, cum hac inſcriptione:

FElicibus auſpicijs & juſſu Henrici IV. Gall. & Nav. Regis invictiſſimi, decora mænia civitatis Gratianop. inchoata, & ex voluntate Ludovici XIII. Regis Chriſtianiſſimi propugnaculis & pomœrijs aucta, Franciſcus Bonna Lesdiguerius, Dux Par & Mareſchallus Franciæ, Delphinatus Prorex, fideliſſimo ſtudio & curâ ſolerti abſolvit, & portam Divi Laurentij exteris & incolis à fundamentis erexit. Anno Sal. M. DC. XV.

IV. La porte Calemont, ou à ſaincte Marie, } Nullis inſcriptionibus claræ.
V. Trois Cloiſtres. }

Ex his portis obvium eſt unicuique, ſentire quinam urbis ſuêre amplificatores.

ARELATE.

Porta ad portum & pontem hanc habet Epigraphen.

D. O. M. S.

BEllo, peſte, fame, Rhodani XXVI. Auguſti repentina ex defectu inundatione abrepto ex areis tritico, ſēente prohibita, uvidis uvis, & ubiq; corruptis ſingulis poſt hominum memoriam graviſſimis, civitas oppreſſa, re comminuta, proditione petita, & à ſuis contagionis ergò penè deſerta, muros refecit, Cr. Grilleo, Ai. Uſanſo Lū-

borello

Borello & Mat. Vignoneo Conſ. Anno Domini clↄ Iↄ LXXX.

Porta fori novi (la porte du marche neuf. ou Marcanau) tale lemma habet ſuperſcriptum :

HEnrico III. Galliarum Poloniæque Rege regnante, univerſa Gallia inteſtinis bellis in ſua velut viſcera deſæviente, hoſtibus huic urbi ferro flammaque minitantibus. Conſules ſacræ Religionis obſequentiſſimi, *EYPATRIDES* quidem, Jo. de Boche, Lu. de Viguier : *POLITAI* vero Jo. Eſpinaud & I. Taukemeſſe avertendi hoſtilis impetus ergo percuſſa foſſa & exciſa rupe antemurali propugnaculi ad inſtar de integro conſtructo, ponteque verſatili portam fori novi præmuniri ærarij ſumptibus curarunt. Non. Mart. clↄ. Iↄ. XIC.

Porta S. Laurentij ita habet :

D. O. M.

HEnrici Magni munificentia, & Ludovici XIII. Chriſtianiſſimorum Gall. & Nav. Regum juſſu conſulens urbis ornamento civium commoditati & emporij tutæ ſtationi hoc Propyleum exſtruendum curavit. Coſſ. &c. clↄ. Iↄ. CXI.

Porta S. Crucis ita habet :

D. O. M.

LUdovico Regi, urbis ornamento, civium utilitati, adeuntium commodo, quod ex dono Henrici Magni non ultra poſſent à porta S. Virginis hoc uſque modo nova mænia conſtrui,

mo-

moléque continuâ præmuniri, nova porta Cruci dicata feliciter Coſſ. &c. cIↄ. Iↄc. XVI. Menſ. Decembr.

Romæ, ad dexteram portæ ſanctæ.

Sanctiſſimo Dn. Papa Gregorio XIII
Pont. Max. fœliciter ſedente atque
Mandante portam hanc ſub Julio III.
Tempore jubilei apertam & clauſam
D. Joannes Moronus Cardinalis
Et Epiſcopus Hoſtienſis ac hujus
Congregationis protector & pater
Solemniter aperuit
Anno Dñi M.DLXXV. die XXIV. M. Decemb.
Et ſub eodem die anno elapſo
D. Alexander Farneſius Cardinalis
Et Epiſcopus Tuſculanus
Fœliciſſimè clauſit.

Ad ſiniſtram portæ ſanctæ in pariete.

Urbani VIII. Pont. Max. authoritate
Franc. Maria Card. à Monte Epiſc. Oſtien.
S. Collegij Decanus
Et Marchio Montis S. Mariæ
Portam hanc aperuit
Et Clauſit anno jubilei M. DC. XXV.

Ad dexteram portę ſanctę in pariete.

Innocentij X. Pont. Max.
Authoritate
Marcellus Card. Lantes
Epiſc. Oſtien.
S. Collegij Decanus

Portam

Portam hanc ſanctam
Reſeravit & clauſit
Anno Jubilæi M. DC. L.

Romæ in ingreſſu Confeſſionis S. Pauli.

Leo gratiâ Dei Tertius
Epiſcopus
Hunc ingreſſum ſanctæ plebi Dei
Miro decore ornavit.

Inſcriptio Portæ Leonianæ, quæ aliàs porta S. Petri. Romæ.

Qui venis ac vadis, decus hoc attende Viator.
Quod Quartus ſtruxit nunc Leo Papa libens:
Marmore præciſo radiant hæc culmina pulchra,
Quæ manibus hominum facta decore placent.
Cæſaris invicti quod iſthic cernis honeſtum,
Præſul tantum quod tempore geſſit opus.
Credo malignorum ſua nunquam bella nocebunt,
Neve triumphus erit hoſtibus ultra ſuis.
Roma caput orbis, ſplendor, ſpes aurea Roma,
Præſulis ut monſtrat en labor almatui.

Inſcriptio Portæ Æneæ. Ibid.

Romanus, Francus, Bardúſque Viator & omnis,
Hoc qui intendit opus, cantica digna canat.
Quod bonus Antiſtes Quartus Leo ritè novavit,
Pro patriæ, ac plebis ecce ſalute ſua,
Principe cum ſummo gaudens Lotharius heros
Perfecit, cujus emicat altus honor.
Quod neneranda fides nimio deduxit amore,
Hoc Deus omnipotens præferat arce polis.

Viter-

Viterbij in porta vallis.

EX auctoritate Alexandri Farneſij Cardinal. Leg. perpet. populus Viterb. portam Farneſiam aperuit, Valliam minùs commodo loco poſitam cluſit, Anno M. D. LXIX.

In porta Sixti:

Alexandro Farneſio Cardin. ampliſſ. Legat. Perpet. quòd Provinciam ſumma in tranquillitate conſtituerit, & Viterbium quotidie augeat, atque ornet, S. C.

Daventriæ in porta (vulgò die Brinck Porte) ſub inſignibus Aquilæ:

DAt nobis Aquilam Romana inſignia Cæſar,
Juráque noſtra ſub his inviolata manent.

A dextra, ſub imagine Fortunæ.

ME Duce Cattorum gens ſeditione coorta,
Hæc patriam fugiens arva inarata ſubit.
Atque meo Deventurium de nomine dictum
Plùs mille ante annos mænia parva locat.

A ſiniſtra ſub Bellonæ imagine.

ADdidi ego hoc urbi vallum furialis Enyo,
Quòd ſecura ſuis hoſtibus objiceret.
Tu Belli eſſe memor debes in tempore pacis,
Nequa tuum feriat vis inopina caput.

Suprà ſub imagine Caroli V.

DIvo Carolo Cæſ. V. Imperat. Max. S. A. P. L. vindici P. P. S. P. Q. Davonturienſis monumentum hoc defenſionis ergò poſuit, Anno M. D. XLIV. Poſteri diligenter conſervanto.

AREOLA XVI.

INSCRIPTIONES ARCIUM.

In Arce Tyburina:

GRata bonis, inviſa malis, inimica ſuperbis,
Sum tibi Tybur, enim ſic Pius inſtituit.

Senis in arce nova.

COſmus Medices Dux Florentiæ & Senarum, arcem & unà Senenſium quietem, & ſecuritatem fundavit. Anno M.D.LXI.

Neapoli.

IMp. Car. V. inviĉtiſſ. Cæſar. Aug. juſſu Petrus Toletanus Villæ Franchæ Marchio, regni Neap. Prorex juſtiſſ. cuius auſpicijs placidâ pace quieſcitur, Pyrrhi Aloyſij ſcribæ cura, arcem hanc à fundamentis inchoatam, Jo. Jacobi Achaij ſolertia & arbitrio perficiendam mandavit. 1542.

In arce Peruſina.

PAulus III. Pont. Max. tyrannide ejecta, novo civitatis ſtatu conſtituto, bonor. quieti, & improborum freno, arcem à ſolo excitatam mira

celeritate munivjt, Pontificatus ſui anno IX. Sal. XLVIII.

Placentia in Caſtello.

Finiunt pariter, renovántque labores.

PHilippus II. Hiſpaniarum Rex maximus, & multarum Provinciarum Dominus, ſanctæ fidei Catholicæ acerrimus Defenſor. F.F.

In Caſtello S. Angeli, ſeu mole Adriani, Romæ.

QUæ olim intra hanc arcem collapſa, impedita, fœdata erant, ea nunc à Paulo III. P. M. ad ſolidam firmitatem, commodam utilitatem, ſubtilem venuſtatem exſtructa, diſpoſita, ornata conſpiciuntur.

In Circuitu molis Adriani.

E libra venit Romanas victor ad arces
Cæſar, & in niveis aureus ivit equis.
Ille triumphavit, ſed tu plus Paule triumphas;
Victor námque tuis oſcula dat pedibus.

Neapoli in Caſtello novo.

ALfonſus Regum Princeps hanc condidit arcem.
Alfonſus Rex Hiſpanus, Siculus, Italicus, pius, clemens.

Florentiæ.

QUod fauſtum felixque ſit. Carolus V. Rom. Imp. ex Africa rediens, cùm Alexandrum Medices Florentinorum Ducem, generum ſuum, extructa jam reliqua arce, turris hujus fundamenta

menta locantem reperiſſet, primum victrici manu lapidem ponere non dedignatus eſt. anno 1536.

Inſcriptio Caſtelli S. Franciſci in monte Capucinorum Salisburgi.

Cœlo Propitio.
Paris Comes Lodronius
Archiepiſcopus Salisburgenſis
Ut ſatis procul à mœnibus
Repulſo diſcrimine, Cives
Suos Pace tegeret æterniore,
Caſtellum hoc, quà urbi, quà
Toti Viciniæ Cuſtodelam
Erexit D. Franciſco Magno
Cœliti Sacrum.
Anno Dominico M. DC. XXIX.

In Belgio.

Posteritati.
Imp. Rudolphus II. Cæſ. Germ. P. F. Aug.
Cùm Baronatum hunc veterem ævo & bello
lapſum attritumque audiret,
Ut is in priſtinum ſplendorem dignitatémque
poſſet reſtitui;
Hermano de Lynden
Domino horum locorum, & Baroni
benignè & firmiter Electorum Imperatorum interventu
conceſſit indulsítque,
Uti Baronatus hic de Rechem, & quicquid jurium ei adhæret, feudo Maſculino

communne fieret, & ad hæredes utriuſquê
Sexûs tranſiret.
Tum etiam ut omnia jura regalia,
immunitates, privilegia,
Si qua vetuſtas, vis, fraus deleviſſet,
oppreſſiſſet, invertiſſet;
Ea omnia reſtituerentur, redderentur,
Uti quo optimo jure, antefuiſſent.
Ob hæc indulta beneficia Cæſarea excitatus:
Idem Hermanus de Lynden
hanc arcem labentem aut lapſam
Ex ovali in meliorem majoremque hanc formam redegit; exſtruxit, à fundamentis innovavit cum Meſaulis, hypæthris & adjunctis ædificijs.
POSTERITAS,
Hoc ſcire te voluit, & quiſquis hæc leges.
Anno Domini . ∞ . Iↄ. XCVII.

J. Lipſius.

Dordraci in Flandria.

Ludovicus decimus quartus,
Incertum, bello an pace major,
Quibus Copijs,
Conſilijs, animo, celeritate fortunæ,
Anno 1667.
Nerviorum urbem quatriduo ceperat;
Iisdem, ne unquam poſtea caperetur,
Inter cætera munimenta
OPUS HOC
diebus vix octo

ab

ab area & fundamentis,
Ipſe inſtans operi,
Victricibus militum manibus extruxit,
Anno Domini M. DC. LXXI.

In arce Clivenſi.

ANno ab Urbe DC. XCVIII. Cæſ. Julius Dictator his partibus ſubactis Arcem Cliyenſem fundavit.

Nivernij in arce, porta triumphali talis appenſa erat inſcriptio:

NIvernij nova facies, Illuſtriſſimæ Excellentiſſimæque Duci Longevillææ vices gerenti.
En tibi magna D[illegible] priſca hac nova mœnia ſurgunt,
Quæ veteri poſito tegmine lauta vides.
Si Conſtantinus Byxanti priſca novavit
Pergama, quem frater pectore & ore refert.

Taraſcone in Gallia arcem ædificavit Renatus Rex Jeroſolymæ & Siciliæ. Ejus & Reginæ effigies in interiore area arcis exſtant cum hac inſcriptione;

Renatus D. G. Jeruſalem & Siciliæ Rex.	Domina Joanna Regina Siciliæ.

Divi Heroës Francis Lilijs crucéque illuſtres incedant jugiter parantes ad ſuperos iter.

Fontaine-Bleau.

HEnricus IV. Franciæ & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, Bellator fortiſſimus, Victor clementiſſimus, rebus ad majeſtatis & publicæ

ſalutis

ſalutis firmamentum compoſitis, hanc regiam auſpicatò reſtauravit, immenſum auxit, magnificentius exornavit, anno M. DC. IX.

Romæ Legatus Hiſpaniæ, in honorem Ferdinandi III. recens coronati Regis erexit Caſtellum, ſupra quod ſtetit Hercules, cui incubuit Terrarum Orbis.

In primo latere Caſtelli, Ortum verſus, ſequens erat inſcriptio.

Ferdinande Cæſar, pares Tu quidem regendo
Orbis imperio: quis enim Te inter armorum
Tempeſt[illegible]es, non ſtante ani[illegible]on firmo
Veſtigio unquam vidit? Se[illegible]n Alcides
Tuus Oneri Comes accedit; auguror Imperij
Moles Auſtriacis æternùm viribus ſuſtinebitur.

Depicta etiam fuit in hoc latere Prudentia cum hoc ſymbolo: HAC COMITE.

In ſecundo latere Caſtelli, Septentrionem verſus ſequentia legebantur.

Ferdinande Principum Optatiſſime,
Te virtus Atlantem Orbis,
Te Orbis virtutum Atlantem,
Te urbium Regina, Quiritium Regem
Salutat, & Collegam Patri diuturnum cupit.

Depicta fuit etiam in hoc latere Conſtantia cum ſequentibus: HAC DUCE.

In tertio latere Occaſum verſus hæc fuerunt.

Ferdinando II. Imperatori, Pio, Fœlici,
Immobili Eccleſiæ Defenſori, Fundatori

Cer-

Germanicæ quietis: Marchio Caſtelli Roderici Catholicæ Majeſtatis Legatus in Cathol. Domus felicitate quotidie magis inter adverſa Conſurgente, feſtos Ignes Hiſpan. Hilaritatis argumentum D.

Depicta fuit in hoc latere Fortitudo cum hoc ſymbolo: HAC MILITE.

Quartum denique latus Meridiem verſus ſequentia habebat.

Ferdinando III. Auſtriaco, Ferdinandi II. Imperatoris Filio, Philippi IV. Regis Hiſpaniarũ Conſobrino, Regi Romanorum Creato: Legatus Catholicus ſuæ erga Regnatricem domum Venerationis ſignum dicavit.

Pietas in hoc latere videbatur cum ſequentibus: HAC VICTRICE.

Legatus Imperatoris ignes feſtivos accendit.

Videbatur I. Ingens Corona Imperialis, ſub qua fuit Lupa lactans Romulum & Remum.

In I. Parte Baſis ſcriptum erat Orientem verſus.

Quiſquis ad artificioſa incendia ſpectator accurriſti, planè frigidus es, niſi diſcas iñocenter ardere, in tanto æſtu lætitiæ. Orbis verus amor illuxit Tertius Ferdinandus: quas non, amoris igne digna Pectora, flammas concipiant! Unum cavendum eſt, ne ante cineres, amoris extinguatur incendium, quod Auſtriaca, hoc eſt immortalis virtus excitavit.

Latus II. Occidentem verſus.

Regnatorem Urbi deſtinatum, depoſitâ feritate paſcit altrix Lupa, quos decet eſſe hominum mores Romano ſub Rege, ſi pueri meritum vel lupa cognovit?

III. Latus Septentrionem verſus.

Quid de tua ſperare poſſis felicitate gratulantium Romanorum, Rex Ferdinande, Regij Infantes docent, illos Imperio Romano conſtituendo deſtinatos, nullus opprimere potuit furor. Tibi ut Cæſaream Coronam conatus non ademit hoſtilis, ita ferocitas perduellium Perfidorum, pacatiſſimum comprobavit imperium; ſic voveo, ſic precor Scipio Gonzaga Cæſareus apud Urbanum VIII. P. O. M. Orator, Bozuli Princeps.

IV. Latus Meridiem verſus.

Mater Heroum Roma, quos hic pueros vides, animo, non poplite flexo, venerare; ne tibi maternæ terrarum contemptui ſit puerilis Infantia. Quippe tantas olim erudietur in voces, ut univerſum perſonet orbem terrarum. Quanquam infantes fruſtrà exiſtimas: quibus eſt pro eloquentia indoles Regia, facundiſſima conciliatrix animorum.

Aliam inſuper erexit Machinam, Aquilam ſcilicet quam ex 4. Orbis partibus venti impugnabant.

Baſis verſus Ortum.

Aquila Jovis armigera, irato parat fulmina, ventorum vim, turbinúmque minas generoſa cur timeat?

Baſis verſus Occaſum.

Montibus olim congeſtis, Gigantum agmen Cælo bella paravit. Quid inde? fulminibus Jupiter ad infima dejecit, qui cum Superis contendere ſunt auſi. Ita factum ut Aquila diſperſerit, quos fœda temeritas Rebelles fecerat.

Baſis Septentrionem verſus.

Quæ Jovi dicata eſt Ales, ea Cæſaris inſigne eſt, diviſum Imperium habent, Jura Regnorum communia. Sacrilegio damnatur duplici, qui eam offenderit, nam Cæſaris, nam Jovis eſt: Tangere non licet.

Baſis Meridiem verſus.

Stridete, furite ventoſæ Aquilonum animæ inſtabilium fratrum ſonora agmina, terrarum orbem permiſcebitis quidem, at Aquilam affligere humi non poteritis, quæ Jovis in ſinu nidum habet. Auſtriacos Proceres bellorum procellæ non deprimunt: quibus ipſa divinitas arx eſt.

AREOLA XVII.

INSCRIPTIONES PALATIORUM, AULARUM, ALIORUMQUE ILLUSTRIUM ÆDIFICIORUM.

In Aula Epiſcopali Patavij.

Ecleſiæ Patavinæ faſtos, ſacras Pontificum effigies vetuſtate non ſemel victas Federicus Cardinalis Cornelius reſtituit: easdem ſitu corruptas, atque evaneſcentes Georgius Cornelius patrui magni virtutum ac gloriæ æmulator, ut Antiſtitum populus Atrium majeſtate ſua dignum incoleret, abſterſo ſqualore in priſtinum nitorem redigi curavit.

In aula magna Palatij Florent.

HAs ædes atque aulam hanc, tecto elatiori, aditu, luminibus, picturis, ornatúque auguſtiori, in ampliorem formam decoratam, dedit Coſmus Medices illuſtriſſ. Florent. & Senar. Dux, ex deſcriptione atque artificio Georgij Vaſarij Aretini pictoris atque Architecti. 1565.

Aur-

Avenione in Palatio Legati Apoſtolici:

Qui varias operum moles, territáque paſſim
Mœnia dimenſa ſuſpicis artis opus:
Ingreſſus noſtras humiles ne deſpice ſedes:
Quærimus ex ſola commoditate decus.

Lugduni in Gallia in Aula Archiepiſcopali ſub inſignibus Urbani VIII.

Sugitè nectareo madidantia lilia rore,
Delicias pacis ſugite pacis aves.
Sugite pacificis volucres in floribus: Orbem
Nam condire ſuo lilia melle queunt.

Palatium Pariſinum.

DIVUM DOMUS OMNIBUS UNA.

Singula certabant, & adhuc ſub judice lis eſt, (uni:
Numina; Quoi Domus *hæc domino concederet*
Jupiter, *ut fas eſt, prima aſſurrexit in aula,*
A Jove *principium ſumpſère palatia Regum:*
Contra Juno, *ſuis Dea conſociata Deabus,*
Antetulit ſedem regnis hanc omnibus unam:
Mox mea Mercurius *ſunt hic commercia, dixit:*
Et mea Mars, *ubi Tela, enſes venduntur & arma.*
Et mea, Diva Venus, *ſunt hic mea lumina Nymphæ:*
Et mea, quæ vigiles agito Diana *choreas:*
Et mea, Diva Themis, *ſunt hic ſubſellia litis:*
Et mea, Veſta, *ſacri fulgent Altaribus Ignes:*
Et mea, Saturnus, *ſunt hic monumenta Deorum:*
Et mea, Vulcanus, *Venerem Mars hic adamavit.*

Et mea, Sol, (*penes hunc vis deſiit alta loquendi.*)
Ipſáque Liligero *ceſſère palatia Soli.*

Robertus Keuchenius.

In Fronte Palatij Ducis Valentini, Romæ.

STet domus hæc, donec fluctus formica marinos
Ebibat, & totum teſtudo perambulet orbem.

Neapoli.

HUc quicunque venis, fauſtè & benè veneris hoſpes,
Comiter in noſtra ſuſcipière domo.

Ibidem.

NIcolaus Antonius Carracciolus Vici Marchio, & Cæſaris à latere Conſiliarius, has genio ædeis, gratijs hortos, Nymphis fontes, nemora Faunis, & totius loci venuſtatem Sebetho & Sirenibus dedicavit, ad vitæ oblectamentum atque ſeceſſum, & perpetuam amicorum jucunditatem. An. 1543.

Anconæ in Palatio Gubernatoris.

SInt procul inſidiæ, fraudes, diſcordia, bellum.
Hac honor & virtus cum Jove carpit iter.

Ibidem.

ALma fides, proceres, veſtram quæ condidit urbem,
Gaudeo in hoc ſociam vivere poſſe loco.

Urbini in Palatio.

FEdericus Urbini dux, montis Ferretrij ac Durantis Comes, S. Rom. Eccleſiæ Confalonerius,

nerius, atque confœderationis Imperator: hanc domum à fundamentis erectam, gloriæ & poſteritati ſuæ ædificavit, qui bello pluries depugnavit: ſexies ſigna contulit: octies hoſtem profligavit: omniúmque præliorum victor ditionem auxit: ejusdem juſtitia, clementia, liberalitas & religio, pace victorias æquarunt, ornarúntque.

Palatij Sereniſſimi Ducis Venetorum Elogium:

Quæ Pergama advecta mari?
Æquorei hæc Numinis Regia,
An Capitolini Jovis Arx?
Utrumque dicas;
Jam aſſuetæ ſervitio undæ
Maris Reginam
Tergo bajulant.
Ne credas, hominis cœlo marmoreas hujus molis
cœlatas frontes;
Cœlum, quod Venetum incoleret Numen,
Cœlites, fas erat, habuiſſe cælatores.
Mille quos miraris in atrio,
Corinthio marmore, arcus,
Non tam immanis ſtructuræ,
Quàm Patrum gravitate,
Conſiliorúmque pondere
Curvatos, ſcito.
Forenſem porticus portant juſtitiam,
Ne timeas caſuram inflexibili innixam lapidi,
Area puteos æreâ coronâ cingit,
ut ære perennius dicas

Aqua-

Aquarum Reginæ Imperium.
Quàm pius Venetus in Parentes ?
Primos enim mundi exſtinctos primordijs ?
Vivos educit ex marmore ;
Fecitq; ,ut qui primum in luto
ſunt figulum experti Deum ,
In ſaxo ſculptorem pluſquam hominem ſortirentur. Summis parietibus marmoreum caput
excubantes exerunt Leones ;
Solidi enim capitis
Adriaticus Leo parit liberos.
Ut Curiam adeas, Giganteos aſcendis gradus ;
Venetus enim ſuperbos pede proterit Gigantes.
Plures auratas offendis aulas ;
Plurimi namque per illas ingrediuntur Reges.
Sacro Delubro Principis adhærent tecta ;
Ut Eccleſiæ conjunctum, ac neceſſarium
Venetum Senatum
credas.

Leo Matina B.

Antverpiæ in nova Burſa Anglorum.

S. P. Q. A.

IN uſum negotiatorum cujuſcunque nationis ac linguæ, urbiſque adeò ſuæ ornamentum, Anno M. D. XXXI. à ſolo extrui cur.

Mundi anima ut rerum moderetur nummus habenas,
Terráſque & tractus conciliet marium,
Diſce; hoſpes, toto quamvis diviſus ab orbe,
Hic tibi ſi nummus non peregrinus eris.

Domûs

Domûs Hanſeaticæ ibidem.

AUſtriacam urbe domum quâ non eſt pulchrior aiunt,
Nec toto Auſtriacâ eſt pulchrior orbe domus
Omen ineſt voci; vivat Germania, vivat:
Et quod in urbe domus, id ſit in orbe caput.

Burdigalæ in aula Mercatorum.

FIDEI JUSTITIÆQUE SACRUM.
Mercatorum Burdigal. Ordo opus hoc ex
Dei Princi. Beneficio
ac juſſu inſtituit, cujus prima funda-
menta Joannes Riniacius
Mercal:um rerum judex, Pe. Salvagius &
menta Joa. Pratanus Conſilia-
rij jacienda curaverunt Menſe Mart.
Ann. Chriſti M. D. LXXI.

Claramontij in Palatio Regio.

HEnrico III. Gall & Pol. Regi Chriſtianiſſimo, & Catharinæ Reg. Juſt. Matr. Opt. veris juſt. cultoribus, hanc Veterum Aruer. Comitum domum, ab eadem R. Cathar. Aruer. Comit. Juſt. cultui dicatam, vetuſtate labentem, Scab. civium decreto in memoriam benefic. ſempiternam reſtit. anno cIɔ Iɔ. LXXXI.

LUPARA, *

Regia Galliarum Solis.

I. (*capit Illum*

TEctum Auguſtum, Ingens quamvis ſit; non
Vaſta domus Dominũ, non Gallia, totus & orbis.

III. *Sam-*

II.

Hac quoties Sol Imperij ſe ſpectat in arce,
Conſpicit in parvo mundum velut æthera vitro.

III.

Summa polis volvens Deus intermundia, non hoc
Inferiore poteſt Jupiter orbe capi.

Robertus Keuchenius.

Monimentum Palatij Theſaurorum in Comitatu Sarmatoris.

Victor Amedeus (1) Dux inviciſſimus,
Cum Chriſtiana à Francia coniuge;
Poſtquàm orbem turbidiſſimum
Tranquilla (2) pace ſerenavit,
Obſcurum hoc etiam domicilium
Sereniſſimò adſpectu illuſtravit.
Die XXVII. Junij, Anno M. DC. XXXI.

1.) *Nondum aſſumpſerat regium titulum.* 2) *Revertebatur ex Claraſtenſi congreſſu, pacis Author.*

Emmanuel Theſaurus.

Arimini in Palatio.

Romulidum nos arma juvat tenuiſſe, Theatrum
Auguſti pontem, fornicis atque decus.
Aſt Pater ô Clemens, Auguſto Auguſtior ipſo;
Te retinere juvat, teque videre magis.

Ex altera parte.

Tu belli, tu pacis ades, Dux maxime, palmam
Abſque cruore ferens, dat Deus arma tibi.
O utinam longum ſic te conſervet in ævum,
Hoſtibus exitium, gaudia ſumma tuis.

Domûs

Domus Indiæ Occidentalis, quæ eſt Amſtelredami.

HÆc occidentis Indiæ dicta eſt domus;
Domus puſilla, ſi modum ſpectes loci,
At intus ingens panditur rerum penu;
Hic Mexicanus, Peruanus hic ſinus,
Havana, Lima, & Potoſi dites ſpecus,
Guinea, & omne id, quà ferax auri eſt ſolum;
Seu Nigir id fert, ditius Tago vadum.
Horum omnium hic ſunt Promus & Condus ſimul;
Tum quas Iberus Victor, ut victos premat,
Terra ex profundo ducit, hic Gazas vides:
Húcque inferuntur, nauta vel perdit mari.
Non Indiæ igitur, eſt ſalutis hæc domus.

Joh. Iſaac. Pontanus.

AREOLA XVIII.
INSCRIPTIONES CURIARUM.

Ratisbonæ in Tabula marmorea in Curia ſequens inſcriptio legitur.

QUiſquis Senator Curiam officij cauſâ ingrederis, ante oſtium privatos affectus omnes abjicito: Iram, vim, odium, amicitiam, adula-

tionem, Reipub. perſonam & curam ſubjicito. Nam ut alijs æquus aut iniquus fueris, ita quoque Dei judicium exſpectabis & ſuſtinebis.

Brixiæ in Palatio Capitanei.

Hic locus odit, amat, punit, conſervat, honorat,
Nequitiam, pacem, crimina, jura, probos.

Piſtorij ante Curiam.

Ordinibus veſtris fidem ne rumpite Cives,
Vivite concordes, ſi lætum cupitis ævum,
Et qui conſulitis patriæ decernere rectum,
Damnorum memores quæ jam fecère parentes.

Peruſiæ ad Tribunal Gubernatoris.

Jus reddens Judex ſemper ſis omnibus idem,
Judicium alterius Judicis ut fugias.

Patavij ſupra Tribunal Curiæ.

Excute manus ab omni munere: partes patienter audi: benignè reſponde: juſtè judica.

Viterbij in Curia.

Prodeſſe velis ſemper: præeſſe raro: obeſſe nunquam.

Mediolani in Prætorio.

In controverſiis cauſarum capitales inimicitiæ oriuntur, fit amiſſio expenſarum, labor animi exercetur: corpus quotidie fatigatur: multa & inhoneſta crimina inde conſequuntur: bona & utilia opera poſtponuntur: & qui ſæpè credunt obtinere, frequenter ſuccumbunt: ac ſi obtinent,

nent, computatis laboribus & expenſis nihil acquirunt.

Bremæ in Curiâ.

Tempore cùm longo domus hæc collapſa fuiſſet,
Orbâque jam cuncto penè nitore foret:
Sumptibus hanc proprijs voluit reparare Gerardus
Qui de Ranzoo ſtemmate nomen habet.
Eſſet ut hoſpitij ſedes ſibi grata ſuiſque,
Qui cupiunt urbis commoditate frui.

Pariſijs ſub porticu Curiæ.

SEnatui, populo, equitibúſque Pariſiens. Piè de ſe meritis, Franciſcus I. Francorum Rex potentiſſ. has ædes à fundamentis exſtruendas mandavit, ac curavit, cogendíſque publicè Conſilijs & adminiſtrandæ reipub. dicavit, Anno à ſalute condita M D.XXXIII. Idib. Julij. Inciſum M. D. XXXIII. Jbid. Septembr. Petro Violâ Præfecto Decurionum, Claudio Daniele, Joanne Bartholomæo, Martino Bragelonio, Joanne Curtino, Decurionibus.

Neapoli.

CUm æterni Tribunal Judicis illum reum non habeat, quem injuſtè reus condemnat, teſtante Propheta: nec damnabit illum, cùm iudicabit ei; caveant judices, & prudenter attendant, ut in cauſarum proceſſibus, nil vindicet odium, vel favor uſurpet. Timor exulet, & præmium aut expectatio præmij juſtitiam non

evertat: ſed ſtateram geſtent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententijs & ferendis, præ oculis habeant ſolum Deum, qui ſit laudabilis & glorioſus per infinita ſæcula ſæculorum.

Ibidem.

Ne quid facias hodie, quod cras te pœniteat.

Item.

Natura deficit, fortuna mutatur, Deus omnia cernit.

Bononia ante Conclave decemvirorum.

PRIVATORUM OBLITI, PUBLICA CURATE.

Pariſijs in Palatio Parlamenti.

Ad dextram:

FAcite judicium & juſtitiam: quod ſi non audieritis hoc, in me juravi, dicit Dominus, quòd deſerta erit domus hæc. *Ierem.* 22.

Ad ſiniſtram.

Videte Judices, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, ſed Dei: & quodcunq; judicaveritis, in vos redundabit. 2. *Paralip.* 19.

In Palatio Veronæ, ad imaginem Juſtitiæ.

VOs omnes moneo, cavete noſtrum
Numen lædere. Sum ſevera Vindex.

Item.

Juſtitia è cœlo terras dum proſpicit alto,
Procedit recto tramite judicium.

Item.

Ancipitem timeat gladium, lancémque bilinguem,
Qui temerat ſancta fœdera juſtitiæ.

In

In Curia ad imaginem Pantheræ.

His maculis quanquam affectus moveant ratione carentes,
Tu tamen ô Judex jus dabis abſque notis.

Item.

Te nunquam affectus moveant ratione carentes,
Sic erit & juri juſtitiæque locus.

Lipſiæ in Curia,

PErditus eſt cupidè qui turpia fœnora captat,
Fraude ſuam parto ditet ut ære domum.
De malè quæſitis ni tertius excidat hæres;
Nec quartus certè nullus adire poteſt.
Sed magis ille ſapit, Domino qui fidere novit,
Inque ſua degit conditione pius.
Hunc ultrò ſequitur cunctarum copia rerum,
Et velut in ſomno, quod cupit omne, capit.

Andegavi in Curiæ introitu.

REgia juſtitiæ juſto ſub Rege reſurgens,
Et Jano clauſo Themidis rediviva paténſque
Porta Deæ, geminum tibi dant Ludovice Triumphum,
Et belli & pacis lauróque oleâque coronant.

In palatio Curiæ Bituricenſis.

HEnricus IV. Franciæ & Navarræ Rex, Chriſtianiſſimus, fortiſſimus, ac ſuper omnes feliciſſimus Princeps, Liberator Regni, Fundator quietis, hanc Baſilicam à Joanne Bituricum Duce olim inchoatam, & poſt varijs caſibus afflictam in uſum Curiæ ac populi Bitur. peragi juſſit, Anno cIɔ. IɔcVII.

Viennæ in Gallia, in introitu Curiæ Mulier obvincta oculos cernitur, cum bilance & anchora. Inſcriptio:

HÆ tibi erunt artes, queis Regum fœdera nectas,
Non dona, nec ullus conſtanti de mente favor.

ARELATE IN CURIA.

Exticâ portæ parte Leo, inſigne urbis, depictus cum hoc diſticho:

Stratos non aſt ille ſuperbos conterit hoſtes,
Sic Arelas hoſtes pacis amica terit.

Paulò inferiùs hæc: SALE RATA REFERAT ARELAS. *Cancrina hæc verba ſunt: retrolegi poſſunt. Ibidem talis inſcriptio:*

CIvili undique ſæviente bello Arelate ſeditionibus agitata, patricijs viris Senatoribúſque proſcriptis, conſulatu invaſo, ærario expilato, foris repetito militum incurſu, gregibus & armentis abactis expopulata, Duce Allobrogum cum copijs introducto penè ſubacta, civiúmque probiorum virtute expulſis Allobrogibus perduellibúſque profligatis fortiter liberata; His ſeptennio confectis cladibus, extorribus revocatis, Gallico Imperio conſervato, poſtmodùm horrida biennij fame ferè conſternata, pace denique inter Gallos, Iberos, Allobrogóſq; conſtituta, ob Rempublicam civéſque ſervatos C. M. H. IV. Id. Jul. C. Fr. Dan. Tonello, Cap. Lavabre. & Gu. Monfort. P. M. I. C. D. Sen. Car. F. decrevit.

Inſcri-

Interior Curia habet conclave quoddam, in quo Trophæum:

Carol. Lotharenus, Guſiæ
Dux, Carolo Lothareno
Guſiæ Duci
Ex Anagrammate
Triumphus.

AVE DUX, VIRTUS CHARA, HONOS GALLIÆ.

Inferiùs iſta ſequuntur:

Henrico imperante,
Virtute floreſcente,
Honore confluente,
Pietate approbante,
Amicitia invitante.

Tholoſæ in Curia civica ad ſtatuam Henrici IV.

HEnrico Magno pacis cauſâ armato, publicorum ædificiorum magníque patriæ operis reſtitutori, magna Tholoſa, regni olim alterius caput, regnum quæ Franciæ augere maluit, cum patris & ſuis ſub pedibus regijs ſuorúmque hinc inde Capitolinorum inſignibus, inſigníque ſubactorum amante animorum notâ, hoc opus debuit, dicavit. cIↃ.IↃc VI..

Introitus Cameræ, ubi Capitolini conſulunt & judicant, hunc habet verſum:

Tectoſagum hic locus eſt, ubi ſacra oracula cenſus,
Temporáque adflictis dat meliora ſalus.

Parietes areæ habent B. V. Mariam, & S. Catharinam, cum his verſiculis:

Eligit octo viros urbs Catharina quotannis,
Et ſtringit nodi Religione ſacri.

Item.

Pallas Romanæ Tritonia præfuit arci,
Alma Toloſanæ Virgo praeeſt Maria.
Excellunt urbis tantum capitolia noſtræ,
Excellit quantum Pallada Virgo parens.

Iidem parietes Emblema pictum oſtendunt, referens formam bonæ Reipub. ſunt IV. mulieres, habitu, colore, cultu à ſe diſcriminatæ; altera juſtitiam fingit, altera anum; dextrâ malleum, ſiniſtrâ turrim tenentem; tertia facie peregrina eſt, dextrâ ſcipionem, ſiniſtrâ ſacellum tenens; quarta circino, cynoſura & amuſſi decorata eſt.

Prima viris mores format, ſtruit altera muros,
Hoſpitium fovet hæc. ſunt huic commercia curæ.
Patria ſit Cœlum. Veſtris ſubmittere tectis
Hoc juvat, obſequio ſi perturbatis honorem.

Fani, in Cathedra Judicis. Sub Gigante portante Cœlum in humeris.

NOn levius fert pondus optimus Senator.
Loquuntur multi; pauci dicunt.

Venetijs in Palatio Conſilij magni.

OMnibus, qui patriam conſervârint, adjuverint, auxerint, certum eſt, eſſe in cœlo definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. Quod quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia cœtúſque hominum jure ſociati, qui

qui civitates appellantur; hac etiam in Rectores & Conſervatores cœlo profecti illuc revertantur. Averſemini igitur vitia, colite virtutes; ad rectas opes animum ſublevate; humiles preces in excelſo porrigite. Magna vobis eſt, ſi diſſimulare non velitis, neceſſitas inclytæ probitatis, cùm ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis.

Veronæ in area Prætorij.

ZAcharias Eq. Veronen. Præf. nonnullas in agro, tres in urbe arces inſtauravit: Prætorium hoc ſublicium marmoreum fecit, forum ampliavit: curiam ædificavit, in penuria annonæ famem defendit, Rempublicam integrè geſſit, æquale jus omnibus dixit. Ejus diſceſſum populus lacrymis declaravit. M.CCCC.LXXVI.

Colmariæ in Curia.

OCeanus quamvis fluctus pater excitet omneis:
Danubiúmque omnem, barbare Turca, bibas;
Non tamen irrumpes perfracto limine Cæſar,
Dum Carolus populis bellica ſigna dabit.
Si ſacræ quercus firmis radicibus aſtant:
Sicca licet venti concutiant folia.

In Curia Poſnanienſi in Polonia.

DEmoſthenes Græcorum diſertiſſimus leges animam civitatis eſſe inquit. Ut enim corpus animâ vivit: ſic civitas legibus conſervatur. Proinde naturæ & ſui ipſi⁹ obliviſcitur, qui ſacratiſſimas conſtitutiones, patriáſq; leges averſatur.

AREOLA XIX.
INSCRIPTIONES ARMAMENTARIORUM.

Pariſijs in Armamentario regio.

ÆThna hæc Henrico Vulcania tela miniſtrat,
Tela Giganteos debellatura furores.

Avenione in Armamentario.

DUm parat Avinio Lutheris graſſantibus arma,
Dúmque movet gladios, hoc ſibi fecit opus.

Armamentarij prope Bibliothecam Vaticanam Romæ.

URBANUS VIII. LITTERIS ARMA, ARMA LITTERIS.

Armamentarij Veneti.

FELIX CIVITAS, QUÆ TEMPORE PACIS DE BELLO COGITAT.

Ibidem in Bombarda trium Fiſtularum.

Cerberus evomitat triplici de gutture flammas,
Sulfura, ſal, nitrum, fulmina, bella, globos.

Elogium Navalis armamentarij Venetijs.

Ejulatus ede ferales ferox Turca,
Venetijs Mortis ædem tibi extructam mirare.

Lachry-

Lachrymis aſperge
Monimentum,
Quo tua tumulata eſt gloria,
Ad ſingula trophæa ex tuis relata cladibus
Singultus & ſuſpiria
Emittito,
Tuorum militum cadavera
In mœnium lapides tranſiêre.
Pertritæ haſtæ, perfoſſæ caſſides, obtruncata
Capita, laceratæ claſſes
In fundamenta ſunt jacta.
Immanes tuorum Ducum manes,
Nec ſub umbris ſecuri
Ad ſecures palleſcunt Venetas.
In caput tuum Vulcanus conſpiravit.
Ætnam peroſus
Adriaticos adivit Joves;
inter ipſorum imbres
Fulmina cuſurus, & tonitrua.
Ad lamentabiles incudum gemitus ingemiſce,
Mille Brontes, mille Steropes
Gemino armati oculo
Ad tua excubant funera.
Debellata vexilla tua vix illa ſunt.
Timor attrivit, non ætas.
Regina maris
Invita Thetide, Bellonam præfecit aquis,
Sylvas traducit ad undas,
Et Jaculatricem Lunam
inter marinos ſaltus
Sæpè venatur.

Malos ſuos hoſtibus malos
Neptuni crederes arces,
Ad inimicas fundendas claſſes excitatas.
Suum dedit illis fortuna velum;
Imò
Muliebres fortunas
ad eorum conſuenda vela
Tranſmittit.
Hoc armamentarium
Jani templum dicas,
Ex quo armata ruunt bella.
Ibi ſubacta tormenta hoſtium,
Hoſtiæ Marti dicatæ
Humi dejecta jacent.
Hic longos fabricat Venetus rudentes;
Ut remotos etiam vinciat perduelles.
Arma licet inter otia ſplendeſcunt,
ut negotioſa dicas.
Fulmina crederes jam in hoſtes intorta emicare,
Et catafractos ad bella prodire.
Veneno medicata tela non horret Venetus;
Unicornis quod aquis celat cornu
illa comminuit.
In hoc armorum orbe
ad hoſtica excidia Mors oritur.
Hic quotidie immaniorem ſe fieri
demiratur. *Leo Matina B.*

Bredembergæ in arce:

Dividere arma Patris cùm vellent bellica Nati,
Corpore quæ proprio geſſerat ipſe ſuo:

Mars

Mars clypeum abjecit, dixítque, ô parcite Nati,
Parcite, in his aliquid Mars quoque juris habet.
Quæ toties genitor defendit ab hoſtibus arma,
Turpe, ea ſi natis diripiantur, erit.
Integra, dante Deo, poſt triſtia fata manebunt,
Ut ſacra, dum vixit, tutáque ſemper erant.
Ergò dedit Paulo fraterni pignus amoris,
Henricus partem, Marte monente, ſuam;
Exoptátque armis cum laude utatur ijsdem,
His uſus genitor qualiter antè fuit.

Ibidem.

LOnga domus belli capit inſtrumenta cruenti,
Dum bona tranquillæ tempora pacis eunt,
Grandia ſtant illic uteris tormenta cavatis,
Et nunc ceu placido preſſa ſopore tacent.
At ſubeant hoſtes, mox longa ſilentia rumpent,
Et piceas flammas ore pilâſque voment.
Sidera pulſabit ſonus alta, remugiet æther,
Et gemitus tellus, mota fragore, dabit.
Sulphureóſque globos procul ejaculata cavernis,
Turbine proſternent obvia quæque ſolo.

AREO-

AREOLA XX.

INSCRIPTIONES PROPUGNACULORUM, MUNIMENTORUM, &c.

Neapoli.

VT diurno luſu deſeſſus Pan Satyris Nymphiſque comitantibus cum Muſis ſimul tutus à prædonibus requieſceret, Bernardus Martiranus Patritius Conſentinus Regni Neapol. ſub Carolo V. Cæſ. Secretarius, propugnaculum hoc erexit. Anno M. D. XXXII.

Viennæ Auſtriæ:

D. O. M.

D. D. N. N. Caroli & Ferdinandi Perennium Auguſt. Saluber. Juſſ. Hoc Propugnaculum à Fundamen.

Contra Turcarum vim ordinante viro Clariſſi. Leonhardo Velſio ſacri Regij Palatij Comite, & utriuſque militiæ Magiſtro, inſiſtente etiam Stephano Denckio Conſule Vigilantiſſi. S. P. Q. Viennenſis curæ horum Commiſ. Ad

extre-

extremam manum perdux. ære publico, Anno Chriſti, M. D. XLV. V. S. L. L. M.

Ibidem.

CHRISTO O. M. & MEMORIÆ ÆTERNÆ.

D. N. Ferdinando felici Pio Aug. Germ. Pannonico Bohemicóque, quod is originis & principatus ſui hanc Metropolim propter arma conſilijs & munimentis juverit, ac inter cætera hanc ingentis ſumptus molem adverſus Solymannum Turcarum Tyrannum commune illud & horrendum Chriſtiani orbis fulmen, oppoſuerit: Nicolaus Comes à Salm Militiæ, Chriſtophorus ab Eizing Baro, Senatus, & Marcus Boeck à Leopoldsdorf Scriniorum magiſtri, cæteríque adminiſtrationis Auſtriacæ Senatores devoti Numini Principis ſui, de patria séque optimè merentis, V. S. L. L. M. an. Chr. M. D. XLVI.

Antverpiæ.

DIvæ Mariæ Hung. Reg. Divi Caroli V. Cæſ. Sorori Patriæ ex fratris auctoritate, S. P. Q. A. Hanc molem ex ejus nomine Marianum nuncupantes, pijs votis DD. quòd ſollicito illius hortatu tantæ hæc vaſtitatis mænia, graviſſ. Reip. impenſis, vel quadrimeſtri ſpatio, ad mille paſſuum longitudinem in ſuperiorem uſque limbum excitata ſint, universúmque urbis ambitum hac parte complerint, Menſe Auguſto M. CCCCCLII.

Conſtant. Halmalus Eques auratus, huic moli

moli primum jecit lapidem die XVII. Julij M, CCCCC.LII.

In altera mole hunc in modum legitur:

Juſſu Caroli V. Cæs.

Joannes à Crombach, Eques auratus, hui⁹ urbis Senator, huic moli, indito nomine Divi Jacobi, primum jecit lapidem, an. M.CCCCCXLII. Die III. Junij.

Verrucanæ Molitionis inſcriptio.

Hæc eſt illa exigua ſed celeberrima
Verruca.
Quam primus Carolus Emmanuel
Immunitam fortiſſimè defendit,
Carolus Emmanuel ſecundus,
Ut ipſa ſe defendat, communivit.

Emmanuel Theſaurus.

Salisburgi prope arcem.

Nudum Ante Heic Urbis Arcisque Latus His Munimentis Firmat Paris E Com. Lodroni Archiepiscopus Salisburgen. Anno. 1635.

Salisburgi, in monte prope Eccleſiam B. V. Müllenſis:

D. Monicæ,

Bonæ Matris præſidio, quæ Auguſtinum ingens Eccleſiæ munimentum bis peperit, hoc urbis munimentum commendat Paris Archiepiſcopus & Princeps Salisburgenſis, Anno cIↄ.Iↄc.XXXIIX.

In

In interiori munimento:

FIrmo Africæ Propugnaculo, acri Hæreticorum malleo, magno Hipponis Epiſcopo Auguſtino, Paris Lodronius Archiepiſcopus & Princeps, hæc contra Hæreſin Propugnacula conſecrat, Anno M. DC. XXIII.

Romæ in parte pontis.

Urbanus VIII. Pontifex Max.
Propugnaculum duo hæc intercludens
Sub pontis fornice ſpatia
Inutiliter antiquitus fabricatum
Solo æquavit
Fluminis lapſu hac ex parte reſerato
Quod munitam magis arcem efficit
Et exundationes ingruentes cohibet
Ne poſteri provenientis hinc utilitatis
Ignari ſecus quid moliantur
Hoc voluit extare Documentum
An. D. 1628. Pontif. V.

AREOLA XXI.

INSCRIPTIONES PORTUUM.

Portûs Ararici Inſcriptio.

HEnrico IV. regnante, pace vigente; Præfecti Coſſ. Coſſq; urbis Lugduni Ararim extra alveos prorumpentem cinxerunt, vallârunt hâc eleganti ſerie, ut impoſterum ſint portus, mercatorum commoditati, nautarum ſecuritati, urbis ornamento, populi oblectamento. Incept. Anno. M. DC. VI. Perfect. Anno M. DC. IX.

Monumentum portûs Nicienſis.

Magno Carolo Sabaudiæ Duci
Et Victori Amedeo invictiſſimo filio.
Quòd immenſa regalium animorum
amplitudine,
Non ſuos tantùm populos,
Sed univerſum terrarum orbem complexi,
Nationes omnes
Gratuitâ portuoſi littoris immunitate
magnis aucta commodis, recipi voluerunt.
Æternum grati animi monumentum, ab omnibus ubique populis debitum,

Nicia

Nicia fidelis collocavit.
Anno. M.DC. XXVIII.

Portus Arelatenſis.

D. O. M.

ET Divis & Principibus Franc. & Nav. Regibus Chriſtianiſſimis Magno Henrico IV. & Ludovico XIII. quòd eorum auſpicijs & liberalitate urbis muri antiquitate collabentes refecti, & pomærio hoc ad navalis emporij ſecuritatem & commoditatem nobilitati ſunt, grata Arelas Pos.

Ancona.

IMp. Cæſ. Divi. Nervæ. F. Nervæ. Trajano. opt. Aug. Germanico. Dacico. Pontif. Max. Trib. Pot. XVIII. Imp. XI. Coſſ. VI. P. P. Providentiſſ. Principi S. P. Q. R. Quod. acceſſum. Italiæ. hoc. etiam. addito. ex. pecuniâ. ſuâ. portum. tutiorem. navigantib. reddiderit.

AREOLA XXII.

INSCRIPTIONES AQUÆDUCTUUM.

In Aqua ductu Aquæ Claudiæ in Cælio Monte. Romæ.

IMp. Cæſ. Divi M. Antonnii Pij Germ. Sarm. F. Divi Commodi frater Divi Antonini Nep. Divi Hadriani Pronep. Divi Trajani Parthic. Pronep. Divi Nervæ abnep. L. Septimius Severus Pius Pertinax Aug. Arabic. Adiabenic. Parthic. Max. Trib. Pot. VIII. Imp. XI. Coſ. II. Procoſ. & Imp. L. Septimij Severi Pij Prtinacis Aug. Arabic. Adiabenic. Parthic. Max. F. Divi M. Antonini Pij Germ. Sarm. Nep. Divi Trajani Parthic. & Divi Nervæ Abnep. M. Antonini Pronep. Divi Hadriani Abnep. M. Aurelius Antoninus, Pius felix Aug. Trib. Pot. IV. Procoſ. Arcus Cælimontanos plurifariam vetuſtate collapſos & corruptos ſolo ſua pecunia reſtituerunt.

Imp. Cæſ. Divi F. Veſpaſianus Aug. Pont, Max. Trib. Pot. X. Imp. XV. Cenſ. Coſ. VI. Deſign.

Deſign. VIII. rivum aquarum curſuum à vetuſtate dilapſum refecit, & aquam quæ exinde uſu eſſe deſierat reduxit.

Imp. Cæſar Divi Julij Aug. Pont. Max. Coſ. XIV. Trib. Pot. XIX. Imp, rivos aquarum omnium refecit.

In aquæ Virginis ductu in hortulis A. Colotij.

TI. Claudius Druſi F. Cæſar Auguſtus Germanicus, Pontifex Max. Trib. Poteſt. V. Imp. XI. PP. Coſ. deſig. IV. arcus aquæ ductus Virginis diſturbatos per C. Cæſarem à ſundamentis novos fecit ac reſtituit.

In ripa Tyberis, quod nunc non extat.

IMpp. Diocletianus & Maximianus Augg. repurgatis fontium rivis & itineribus eorum ad perennem uſum refectis Tyberino Patri aquarum & repertoribus mirabilium fabricarum priſcis viris honori dederunt, curante L. Ælio Dionyſioro.

Ad foſſam Brachianam prope Thraſymenum Peruſiæ lacum.

CLEMENS VIII. PONT. OPT. MAX.

VEtus emiſſarium, chaſmate pluribus in locis interclusum, penitus adaperuit. Opere concamerato munivit, puteum profundiſſimum effodit, illinc, ubi ſoli vitium majus, deflectens, novum tramitē, veteri certum ſubſidium, duriſſimo perforato lapide, patefecit; ut agros & op-

pida Thraſymeni ſuperſtagnantib⁹ aquis obruta, priſtino cultui, ac decori reſtitueret. Anno M. DC. II, Pontificatus XI.

Liguſticæ Magnificentiæ
In novo Aquæ ductu Miracula,

Arcus, quos hic vides, Viator,
Triumphales & ipſi ſunt.
Difficultate multiplici ſuperata
Habet vel ipſa pax Genuenſium
Trophæa ſua,
Ubi qui vincerentur hoſtes defuerunt,
Artis ſuppetijs victa eſt
Maligni ſoli natura.
Quid non poſſe Ligurem putem;
Quando ita poteſt elementa transferre?
Catenatos Montes nexu manſuro
Felicitatis ſuæ bajulos efficit,
Et triumphanti per aquas induſtriæ
Rebelles humeros
Commodare compellit. Redundant ſcatebræ,
Ubi nullæ naſcuntur;
Et oblitæ barbariem originis ſuæ
De ruſticanis Urbanæ
In omnem modeſtiam manſueſcunt
Nobilitati latices,
Qui & in valle ſerpere prohibentur,
Et elati in ſublimiorem fortunam
Tali, ac tanta Civitate donantur,
Similitudinem quamdam tumoris
Ipſa inceſſus Majeſtate
Mentiuntur, Quid

Quid ni nutriatur
Laboris amor in Ligure,
Si aſſiduus Conviva Temperantiæ
Mixtos rupium ſudoribus ſuos bibit?
Bellorum incendijs
Recocta Genua ut eſt non abſumpta;
Non fabuloſo Medeæ,
Sed induſtriæ ſuæ vero miraculo
Felicem in infantiam retroacta
Patribus ſuis
Matrum curas injecit,
Dum ab ijs, & ampliora exegit
In aquis ubera,
Et faſcias in mænibus laxiores.
Sed nimirum
Glorioſa ſemper in aquis Liguria eſt,
Seu à nullo luſtratas inveniat,
Seu ab aliquo malè occupatas
Percurrat,
Seu procelloſas arceat,
Seu remotas adducat.
Ubique in immemori Elemento
Famam ſuam
Stylo perennitatis inſcribit.

Aloyſius Juglaris.

Venetijs ad Tribunal Triumvirorum
Rei Aquariæ:

VEnetorum urbs, divina diſponente providentia, in aquis fundata, aquarum ambitu circumſepta, aquis pro muro munitur. Quiſ-

quis ergò quomodocunque detrimentum aquis publicis inferre auſus fuerit, & patriæ hoſtis judicetur, nec minore plectatur pœna, quàm qui ſanctos patriæ muros violâſſet. Hujus edicti jus ratum perpetuúmque eſto.

In agro Ticinenſi:

Per quem Mediolano in ipſum flumen foſſam navigabilem Comes Fontanus duxit.

Martis, & Cereris hi campi ſunt,
Non minus trophæis, quàm ariſtis clari.
Rex prælio victus, & captus,
Exercitus cæſus:
VICTORI CÆSARI
Petrus Erniques Acevedius Comes Fontanus monumentum dicavit, &
Foſsâ navigabili Mediolano in Ticinum ductâ
æternæ Victoriæ famam,
Ubique terrarum ſparſam,
Perenni aquarum lapſu, & murmure
in mare deferri voluit,
Ut hoc etiam elemento vagaretur.

Erycius Puteanus.

Genuæ extra mœnia, ubi Aquæductus foſſam attingit.

A. P. V. M.D.XXXX.

ANdreas Doria facultate loci ſibi publicè datâ, hujus aquæ ductum privato ſumptu conſtruxit, communi ornamento æquè, ac ſui juris commoditati futurum.

Sarſanæ diſtantis Genuâ 1060. paſſ.

Roma in Caſtello S. Angeli.

Paulus V. Pont. Max.
Regionem Leoninam
Perennium aquarum inopiâ laborantem
Aquâ ab ſe in urbem deductâ
Uberi diſpenſatione
Varijs fontibus attributâ
Locupletavit.
Anno Domini M. DC. XIV. Pontif. X.

Roma extra Urbem.

Paulus V. Rom. Pontifex Opt. Max.
Aquæ ductus ab Auguſto Cæſare extructos,
Ævi longinquâ vetuſtate collapſos, in
ampliorem formam reſtituit
Anno ſalutis M. DC. IX. Pont. V.

Alia.

Paulus V. Rom. Pont. Opt. Max.
priori ductu longiſſimi temporis injuria planè diruto, ſublimiorem firmiorémque à fundamentis extruxit
Anno ſalutis M. DC. IX. Pont. V.

Roma.

Nicolaus V. Pont. Max.
Poſt illuſtratam inſignibus monumentis urbem
ductum aquæ Virginis vetuſtate collapſum
ſua impenſa in ſplendidiorem cultum
reſtitui, ornarique mandavit.
Anno Domini JEſu Chriſti M. CCCC. LIII.
Pontificatus ſui VII.

Ibidem.

Paulus V. Pontifex Max.
Aquam munificentia ſua, in ſummum Janiculum perductam
Citra Tyberim totius urbis uſui deducendam curavit.
Anno ſalutis M. DC. IX. Pont. V.

Romæ.

Sixt. V. Pont. Max. Picenus
Aquam ex agro Columnæ
Via Præneſt. ſiniſtrorſum
Multarum collectione venarum
Ductu ſinuoſo à receptaculo
Mil. XX. à capite XXII. adduxit,
Fœlicémque de nomine
Ant. Pont. dixit
Cœpit anno I. abſolvit III.
M. D. LXXXVII.

Ibidem.

Tit. Claudius Druſi F. Cæſar Aug. Germanicus Pont. Max. Tribunicia poteſtate XII. Coſ. V. Imperator XXVII. Pater patriæ aquas claudiam ex fontibus qui vocabantur Cæruleus & Curtius à Milliario XXXV. Item Anienem novam, à milliario LXII. ſua impenſa in urbem perducendas curavit.

Ibidem.

Imp. Cæſar Veſpaſianus Aug. Pont. Max. Trib. Pot. II. Imp. VI. Coſ. III. deſig. IV. PP. aquas

quas Curtiam & Cæruleam perductas à D. Claudio, & poſtea intermiſſas dilapsáſque per annos novem ſua impenſa urbi reſtituit.

Ibidem.

IMp. T. Cæſ. Divi F. Veſpaſianus Aug. Pont. Max. Tribunic. Poteſtate X. Imperator XVII. Pater patriæ Cenſor. Coſ. VIII. aquas Curtiam & Cæruleam perductas à D. Claudio & poſtea à D. Veſpaſiano Patre ſuo urbi reſtitutas cùm à capite aquarum à ſolo vetuſtate dilapſæ eſſent nova formâ reducendas ſua impenſa curavit.

AREOLA XXIII.

THERMARUM INSCRIPTIONES.

In Thermis Diocletianis. Romæ.

D. D. N N. Diocletianus & Maximianus invicti Seniores Auguſti Patres Imperatorum & Cæſarum Conſtantius & Maximianus invicti Augg. & Severus & Maximianus Nobiliſſ. Cæſares Thermas felices Diocletiani Aug. Fratris ſui nomine conſecravit cœptis ædificijs pro tanti operis magnitudine omni cultu perfectas Romanis ſuis dedica.

In Thermis Conſtantini.

PEtronius Perpenna Magnus Quadratianus V. C. Mi. Præf. Urb. Thermas Conſtantinianas longa, injuria & abolendæ civilis vel potiùs fœdalis Cladis vaſtatione vehementer afflictas ita agnitione ſui ex omni parte perdita deſperatione cunctis reparationis adferant deputato ab ampliſſimo ordine parvo ſumptu quantùm publicæ patiebantur anguſtiæ ab externo vindicavit & proviſione largiſſima in priſtinam faciem ſplendorémque reſtituit.

Ad Thermas Ciceronis, Carmen Laureæ Tullij.

QUo tua, Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Sylva loco meliùs ſurgere juſſa viret;
Atque Academiæ celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu ſub potiore vetus.
Hic etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore levant;
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit; hâc fontes non patefecit ope.
Ut quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

In Thermis Gaſteinenſibus Provinciæ Salisburgenſis.

HAs quisquis medicas æger deſcendis in undas,
Primò funde preces, & pia vota Deo.
Hujus is Author aquæ eſt: is fons & origo ſalutis,
A quo eſt omne bonum, quo ſine nulla ſalus.

Quo

Sit liber à curis animus, mens conſcia recti,
Sit vindicta procul, ſit procul ira, venus.
Non alimenta gravent ſtomachum. non fortia vina,
Nec neget impuris fæcibus alvus iter.
Non te depaſcat Phtiſis, macieſve, Maraſmus
Non gravet & febris, nec biltoſa ſitis.
Nec te Carbuties, caries nec Gallica fœdet,
Reſpuit impuros lympha virago procos.
Tunc ſua temperies Thermis ſit debita, ſitque
In Thermis morbo congrua mora *ſuo.*
Abſit in his ſomnus, nihil hîc obſonia proſunt:
Si potare placet, ſufficit unda ſiti.
Hæc bene ſi ſerves, ſecuris utere Thermis,
Expectata ſalus adveniétque tibi.
Utque diu maneat mens ſana in corpore ſano,
Pauperis eſto memor, gratus & Eccleſia.

Ita cecinit ex tempore
abituriens
Dr. Joan. Bairſt, Aulæ
Paſſavienſis medicus.

AREO-

AREOLA XXIV.

INSCRIPTIONES PONTIUM.

In Hiſpania.

MEMORIÆ DICATUM.

Cùm utilitatem publicam tutari
Eborenſi Municipio cordi ſemper fuerit;
Merito hunc quem cernis lapideum
Ingentémque pontem Bætis fluvij rupibus
Imminentem, & cum Trajani Ponte certantem, magna ſua impenſa ad æternam
Gratiam & monumentum rerum excitavit.
Faciles ergò jam viatores ibunt,
Tantiſque eliminatis periculis,
Rapidas ſubjecti gurgitis undas calcantes,
Securitati
Perpetuæ gratiam habebunt.

Ad pontem Anienis fluvij, tribus ab urbe Roma milliaribus, hæ poſitæ inſcriptiones:

Imperante D. N. Pijſſimo ac triumphali ſemper Juſtiniano PP. Aug. Anno XXXVIIII. Narſes vir glorioſiſſimus ex præpoſito ſacri Palatij. Ex Conſ. atque Patricius. Poſt Victoriam Gothicam, Ipſis eorum Regibus celeritate mira-

bili conflictu publico ſuperatis atque proſtratis. Libertate urbis Romæ ac totius Italiæ reſtituta Pontem viæ Salariæ uſque ad aquam à nefandiſſimo Totila Tyranno dſteructum. Purgato fluminis alveo. In meliorem ſtatum quàm quondam fuerat renovavit.

Altera ſic ſonat.

Quàm bene curvati directa eſt ſemita pontis,
Atque interruptum continuatur iter!
Calcamus rapidas ſubjecti fluminis undas,
Et libet irata cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia veſtra Quirites,
Et Narſim reſonans plauſus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum ſubdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

Ad ripam Rubiconis.

JUſſu. mandatuve. P. R. Coſ. Imp. Milit. Tyro. Comilito. Manipulariſve. Centuriove. Legionaríque. Armatus Quiſquis. Es. Hic. Siſtito. Vexillum. Sinito. Nec. Citra. Hunc. Amnem. Rubiconem. Signa. Arma. Ductum. Commeatum. Exercitumve. Traducito. Siquis. Hujuſce. Juſſionis. Ergo. Adverſus. Jerit. Feceritve. Adjudicatus. Eſto. Hoſtis. P. R. Ac ſi. Contra. Patriam. Arma. Tulerit. Sacróſque. Penates. E. Penetralibus. Aſportaverit. Sanctio. Plebiſcit. Senatuſve Conſulti. Ultra. Hos. Fines. Arma. Proferre. Liceat. Nemini. S. P. Q. R.

Prope

Prope Piſas viâ Florentinâ, in ponte novo.

SIccitati Paludum, agrorum cultui, cæli ſalubritati conſulens Coſmus Medices, Flor. & & Sen. Dux, à partu Virg. M. D. LVIII. Cal. Novemb. F. C.

Pariſijs ſub Ponte Sequanæ.

IUcundus geminos poſuit tibi Sequana pontes,
Hunc tu jure potes dicere Pontificem.

Neap. Pontis Magdalenæ ſupra Sebethum.

SIve hoſpes, ſive inquilinus viator es, bene adſis. Quem vides pontem collata provincialium populor. pecunia, publicæ commoditati reſtituit, Berardino Mendotio, Principe optimo, auſpice: dum regno Philippi Auſtrij, regis noſtri inclyti, nomine, ſumma omnium benevolentia præfuit. Tranſi felix, & utere. 1555.

Romæ in ponte Janiculi, qui nunc Xyſtus dicitur,

Ad ſiniſtram.

ANno 1475. Qui tranſis Xyſti quarti beneficio, Deum roga, ut P. O. M. nobis ſalvet ac ſoſpitet. Benè vale, quiſquis es, ubi hæc precatus fueris.

Ad dexteram.

XYSTUS IV. PONT. MAX.

AD utilitatem Po. Ro. peregrinæque multitudinis ad Jubilæum venturæ, pontem hunc, quem meritò ruptum vocant, à fundamentis

mentis, magna cura & impenſa, reſtituit: Xyſtúmque ſuo de nomine appellari voluit.

Pontis Gardij. In Gallia.

Montibus impoſitos cantavit Græcia montes;
Pyramidum oſtentat Barbara Memphis opus;
Plus eſt quod cernis, triplicis conjungere pontis
Fornicibus, montes ſic potuiſſe duos.
Et plus eſt (victam quo ſe natura fatetur.)
Impoſuiſſe ipſis flumina fluminibus.
Et rurſum hoc plus eſt, contempto laudis honore,
Artificem nomen ſubticuiſſe ſuum.
Mire opifex, quod tu feciſti, ſit licet ingens,
Quod non feciſti, plus ego miror opus.

Molæ, olim Formijs, in Regno Neapolitano.

PHil. II. Cath. regnante Peraf. Alcalæ Dux pro rege. Si quis aquam, & Pontes contempletur, naturam & artem pulchritudine certantes ita dijudicet, ut neutri, quod ſuum eſt, deficiat.

In ponte Glanici Fl. qui & Lyris.

PHil. II. Catholico regnante, Peraf. Alcalæ Dux pro Rege. Ponte extructo, via munita, celebritatem Appiæ & Flaminiæ magnificentiâ longè ſuperans cIↄ. Iↄ LXVIII.

Pontis Vulturni inſcriptio.

PHil. II. Cath. regnante Peraf. Alcalæ Dux pro Rege. Et hoc auctori nihil unquam humile,

mile, nihil anguſtum in omni vita cogitanti, monumentum debetur. M. D. LXVIII.

Pontis ſuper Tagum. Ad cujus initium Sacellum S. Juliani. IN HISPAN.

Imp. Nervæ. Trajano. Cæſari, Auguſto. Germanico. Dacico. Sacrum.

Templum in Rupe Tagi Superis & Cæſare plenum,
Ars ubi materiâ vincitur ipſa ſuâ:
Quis quali dederit voto fortaſſe requiret,
Cura viatorum quos nova fama juvat.
Ingentem vaſtâ pontem quod mole peregit,
Sacra litaturo fecit honore Lacer.
Qui pontem fecit Lacer & nova templa dicavit,
Illic ſe ſolu . . . . . veta litant.
Pontem perpetui manſurum in ſæcula mundi,
Fecit divinâ nobilis arte Lacer.
Idem Romuleis templum cum Cæſare Divis
Conſtituit, felix utraque cauſa Sacri.

C. Julius Lacer. H. S. F. & dedicavit amico.
Curio Lacone IC. æditano.

Pontis Exquilini, nunc S. Bartholomæi.
ROMÆ.

DOmini noſtri Imperatores Cæſares Fl. Valentinianus. Pius. Felix. Max. Victor ac triumf. ſemper Aug. Pontif. Maximus. Germanic. Max. Alaman. Max. Fran. Max. Goth. Max. Trib. Pot. VII. Imp. VI. Coſ. II. PPP. III.
ET
Fl. Valens Pius Felix Max. Victor ac Triumf. ſem-

ſemper Aug. Pontif. Max. Germanic. Max. Alaman. Max. Franc. Max. Gothic. Max. Trib. Pot. VII. Imp. VI. Coſ. II. PPP. Et

Fl. Gratianus Pius Felix Max. Victor ac Triumf. ſemper Aug. Pontif. Max. Germanic. Max. Aleman. Max. Franc. Max. Gothic. Max. Trib. Pot. III. Imp. II. Coſ. primum. PPP.

Pontem Felicis nominis Gratiani in uſum Senatus ac Populi Rom. conſtitui dedicaríque juſſerunt.

Pontis Senatorij, ſive Palatini. Romæ.

NUmini Deorum Aug. Jovi opt. Max. ædem voto ſuſcepto. Q. Lepidus. M. F. M. Curius M. F. Coſ. III.

S. P. Q. R.

Imp. Cæſar. Divi Trajani Parthici Nervæ Nepot. Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. II. Coſ. II. Quo jus omnium Principum remittendo ſextertium novies millies centena millia debitum Fiſci patres ejus ſuaq. & poſteros ſuos reſtituit hac libertate ſecuros Julia Aug. Mater Augg. & Caſtrorum Matronis reſtituit Sabina Auguſta.

Ibidem.

Divus Aug. Pont. Max. Ex. S. C. refecit.

Ex Auctoritate Gregorij XIII. Pont. Max.

S. P. Q. R.

Pontem Senatorium, cujus fornices vetuſtate collapſos, & jam pridem refectos fluminis impetus denuó dejecerat, in priſtinam firmitatem ac

 pulchri-

pulchritudinem reſtituit Anno Jubilæi M, D. LXXV.

Pontis Rivaltini Venetijs Elogium.

Diſtrahor: arcuatum montem, an pontem,
Hanc portentoſam marmoris molem dicam.
Montem æquius appellabo;
Qui enim ſemiorbis
Urbem humeris bajularet?
Vel videns mentior,
Tam immania ſaxa
Marinos inter fluctus librari.
Nec Neptunus, perfoſſis Tridente rupibus,
Tritone Miniſtro,
Tanta prodigia excitâſſet.
Dixiſſem, arcum hunc ab Jove fabricatum,
Cujus Archetypum
adhuc in aëre picturatum oſtentat.
At non novit Venetus
Externa emendicare auxilia;
Solus didicit montes in pontes flectere,
Et æquoreos inter vortices, vertices alpiũ calcare.
Ut maris dominium venerere,
Ponto pontem portandum dedit.
Rivum exiſtimat altum,
Hinc ſaxeo illius coronavit arcu tempora;
Hoc ut arcu tempora jaculetur.

Pontis Suſpiriorum Elogium.

Ne lege, ſpectator, crudeles characteres.
Acerbi amoris fuge funebre monimentum.

Coacervata ſuſpiria, ſi neſcis,
Hunc erexêre pontem,
Cui & nomen dedêre.
Quis credat,
Tenues auras in lapides obduruiſſe?
Quas cernis ſubtus Pontem tacitè labentes aquas, Amaſiorum ſcito lachrymas.
Habet & amor Cocytos ſuos,
Quos ex oculorum urnis didicit corrivare.
Ne temeraria Cymba
Truci te credas gurgiti;
Mediјs enim conflagrabis in undis.
Solus Cupido Acheronta æmulatus
Arcum in carinam, tela in remos,
Vittam in vela commutavit,
Ut ſemineces amatores
alteram exponat in ripam.
Avarus Nauta
Vecturam animæ ſibi pretijs ſolvendam cogit.
Meduſeo aſpectu
riguiſſe homines
Fama eſt.
Et hic tres Venetæ Meduſæ
oculis potuêre
In cautes incautos vertiſſe ſpectatores,
Et ex illis fletuum fluvio pontem erexiſſe.
Fidem negas?
Excute ſaxa ferro,
Et quem adhuc venis alunt,
amoris reddent ignem.
Tales ſibi fæminea manu

Parat arcus ſceleratus amor.
Fuge, Hoſpes,
Ne & ipſe
Vel in ſuſpirium evaneſcas,
vel in lachrymas liqueſias,
Vel in ſilicem obdureſcas.

Leo Matina B.

Anno 1665. pertranſeunti Leopoldo I, Imp. Salisburgi in ponte erectus fuit Arcus triumphalis, cum hac Epigraphe;

SAlve ô nomen quod mundus amat, Leopolde Auſtriace, in ſinum de utraque ripa Juvavus accipit, ſemper devotus tuis obſequijs, nunc curæ etiam & tuæ cauſæ. Quantò major, tantò melior, pietatis Auſtriacæ avitum ſignum eſt.

Ex altera pontis parte verſus Curiam.

Hac mercede placet pontem Juvavi non diu antè aquarum impotentiâ revulſum à fundamentis Pontificem reſtaurâſſe, ut decentiore cultu Imperatori Leopoldo ſubſterneret, & pio ubique ſymbolo nil fore invium deſignaret.

Ad Pontem Acutum, ſive à Cotibus denominatum, non longè ab urbe Tudertina.

MArcello tit. SS. Quirici & Julittæ Card. Lanti Epiſc. Tudert. vigilantiſſ. & beneficentiſſ. Quòd inter alia ſuis apud Paulum V. Pont. opt. Max. affinem ſuffragiis Camerali ac publ. ære conl. retentóque pontem hunc per annos ſupra CC. Tyberis impetu disjectum, Pilis ple-

periſqur fornicibus, præter unum, omnibus extructis; cura præcipua, omnium commoditati reſciendum curavit, Tudert. ob grati animi teſtimonium B. M.-PP.

M. DC. XIV.

In eundem pontem.

CEſſerat inſanis Tyberis Pons obrutus undis,
Nec Tuderi hinc ſolidæ ſpes erat ulla viæ.
Additapurpureo virtus Romana galero,
Fruſtratum ante alios Lantis adegit opus.
Tybri, prius pons iſte tuam eſt vim paſſus inultus:
Par modò te pontis vimque jugúmque pati.

Pontis Trajani in Pannonia talis erat inſcriptio.

Providentiâ Auguſti,
Verè Pontificis,
Virtus Romana quid non domat?
Sub jugum ecce rapitur
Danubius.

Structurapontis Farneſiani, dum obſidere pararet Antverpiam Anno 1584. *quem flumini Scaldi impoſuit.*

PОns ab Alexandro Farneſio in Gallia-Belgica Philippi Regis Catholici Præfecto Maximo ſupra Schaldem flumen in obſidione Antverpienſi conſtructus M. D. LXXXV.

Qui potuit rigidas Belgarum ſubdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

Claramontij in ponte.

HVnc modicus lambit veniens de montibus amnis;
Juxta & fons ſalſus pontem lapideſcit in unum.

Pons noſtræ Dominæ, & pons novus
Pariſijs.

SEquana qui geminos Pater interlabere pontes,
Siſte gradum velox inter utrumque tuum:
Ille tibi Dominæ currit via lactea noſtræ;
*Hic * Gemini Domini ſanguine mixtus abit.*

* Alluſum ad Chriſtum, & Henricum IV. quorum ſtatuæ in ponte novo videntur.

PONS NOVUS.

Temporibus cunctis populoſus & omnibus horis,
Non eſt antiquus, nomine Pons novus eſt.

Robertus Keuchenius.

Veronæ in ponte novo ad Atheſin.

QUi fluminis vim paſſus annos plures jacuerat, civitatis ornamento & commodo pons tandem eſt reſtitutus.

Ex altera parte.

FLuminis impetu disjectum pontem diligentia Æmi. penè reſtitutum, Franciſci Foſcaris ſucceſſoris cura perfecit.

Pontis Bredembergæ.

HEnricus Ranzovius, Joannis filius, Regis Daniæ in Ducatibus ſuis locum tenens, Dominus in Bredenberg. Ranzovisholm, &c. anno ætatis LX. & Chriſtina ab Hallen, Franciſci ab Hallen unica Filia, eius uxor, anno ætatis

tis LI. Anno Domini M. D. LXXXV. hunc pontem conſtrui curarunt.

PONS SPECTATORI.

Henricus celebri Ranzoò ſanguine natus
Me pontem curvo fornice ſtruxit eques,
Poſſit ut hac pedibus ſiccis tranſire Viator,
Qualibet & currus res gravis axe vehi.
Ligneus ante fui, ſaxum jam verſus in album,
Res hominum varias teſtor habere vices.
Trajectus fratrum, qui ſubterlabitur amnis,
Dicitur, hinc formæ pendet origo novæ.
Namque meo Domino natos, par nobile fratrum,
Cùm Juvenes eſſent, abſtulit atra dies,
Hic Theodorus erat vocitatus, at ille Joannes,
Indolis eximiæ, charus uterque patri.
Me Dominus voluit niveam quoque ſumere formam,
Amnis fraterni qui tego ritè vadum.

AREOLA XXV.

INSCRIPTIONES VIARUM.

Ab urbe Emerita Hiſpaniæ Gades uſque viam ſuperiorum Conſulum tempore inchoatam, multiſque locis intermiſſam perduxit Octavianus Auguſtus, loquente, quod ibi videre eſt, veteri marmore, his verbis concepto:

Imp. Cæſ. Divi F. Auguſtus. Pont. Max.
Coſ. XI. Tribunic. Poteſt. X. Imp. VIII.

 Orbe

Orbe. Mari. & Terra. Pacato. Templo
Jani. Cluſo. & Rep. P. R. optimis legibus
& Sanctiſſimis. Inſtitutis. Reformata
Viam Superior. Coſ. Tempore. Inchoatam
Et. multis. Locis. Intermiſſam. Pro. Dignitate
Imperij P. R. Latiorem. Longiorémque
Gadeis. uſque. Perduxit.

Ad hanc item urbem à Cappara, viam reſtituiſſe Veſpaſianum Imperatorem probat Columna, quæ Taracone poſita:

Imp. Cæſ. Veſpaſianus Aug.
Pont. Max. Trib. Pot. II.
Imp. VII. Coſ. III. Deſ. IV.
P. P.
Viam. A. Cappara. Ad Emeritam, Aug.
Uſque. Impenſa. ſua. reſtituit.

Prope Neapolim.

PHilippo II. Cathol. regnante Peraf. Alcalæ Dux pro rege: qui vias fecit à Neapoli ad Brutios, ad Appulos, ad Samnites, ad Latinos, opere ampliſſimo; hanc quoque viam, cuivis antè difficilem, arctam, interruptam, cùm iter ejus ad mare direxiſſet, vaſtáque ſcopulorum immanitate conſtrata, novam aperuiſſet, Puteolos, multò breviorem, perpetuam, illuſtrem, atque latam perduxit. M. D. LXVIII. Cujus operâ pulcherrimæ viæ, ejus & providentiâ tutiſſimæ.

Ibidem

Ibidem.

PHilippo Hiſpaniæ Rege imperante Petrus Afan. Alchalenſium Princeps, conſtituta ſanctis legibus civitate, viam hanc abſciſſis montibus facilem ac tutiſſimam reddidit. M. D. LXI.

Romæ.

SIxto V. Pontifici Max. quod viam felicem aperuit ſtravítque Pont. ſui anno I.
M. D.LXXXV.
Sixtus V. Pont. Max.
Vias utráſque & ad S. Mariam
Majorem, & ad S. Mariam
Angelorum, ad populi
Commoditatem & devotionem
Longas latáſque
ſuâ impensâ ſtravit,
Anno Domini M. D. LXXXV.
Pontificatus I.

Ibid. ad S. Mariam majorem:

GRegorius XIII. Pont. Max. Eugenij labenteni porticum dejecit, & magnificentius reſtituit, viam rectam ad Lateranum aperuit, anno Jubilæi M. D. LXXV.

Inſcriptio viæ ante palatium Jo. Baptiſtæ Spinulæ in Vico S. Petri de Arena.

Hanc etiam ſibi viam ad immortalitatem
Aperuit, munivit, ornavit,
Joannes BaptiſtaSpinula,

Cujus

Cujus tamen ſpatij
Uſum communem faceret alijs,
Ejusdem jus omne retinens ſibi,
Bona Patrum cum venia,
Præſcriptioni cuicumque aditum clauſit.
Tenacitati ne tribuas
Natum à ſagacitate conſilium.
Iujuſtus eſt qui jura lædit aliena;
Improvidus qui non corroborat ſua.

Alia

De eodem Argumento.

Viam, quam hic calcas Viator,
Eripere tibi idem poteſt, qui dedit.
Jus quod ſibi Jo. Baptiſta Spinula retinuit,
Penes te eſſe ne puta.
In hac tanta amplitudine ſpatij,
Præſcriptioni vel minimæ nullus eſt locus.
Utere igitur gratuito beneficio,
Quaſi illud ſtatim ac debitum credideris
Amiſſurus.

Via ad Urſum Pileatum, Romæ.

Hæc eſt via, quâ itur ad locum,
Quod vocabatur
Antiquò tempore
Urſi pileati,
Et moderno tempore
Monaſterium S. Bibianæ;
In quo loco fuerunt ſepulta
Quinque millia ducenta ſexaginta,
Et ſex millia corpora

S. S. Mar-

SS. Martyrum,
Abſque pueris& mulieribus.
Et ibidem eſt indulgentia
Maxima, prout in Chronicis
Veraciter enarrantur,
Scilicet etiam ſeptem millia
An. In Feſto omnium Sanctorum
Uſque ad octavam.

Romæ, via Portuenſi.

Evander de Comitibus
Gurgæ marchio
Riparúmque camerarius
Anno ſal. M. DC. XXXII.

Ex altera parte.

Viam hanc ampliavit
Æquavit
Et arboribus placavit
Eodem Anno.

Salisburgi in via, quâ acceditur arx.

Hanc viam penitùs
Collapſam
Reſtauravit, & lapideis
Fundamentis roboravit
Max. Gand.ex Comit.
De Küenburg
D. G.
Archiepiſcopus & Princeps
Salisburgenſis.
Anno Domini M. DC. LXX.

Ibidem, quà acceditur mons Capuccinorum.

Montis Iſtius
Aſcenſum
Hâc ſcalâ faciliorem reddidit
Max. Gandolph. Ex Comitibus de Küenburg;
D. G. Archiepiſcopus & Princeps Salisb.
Anno Domini M. DC. LXXI.

Vicetia.

HOſpes. ſi. properas. paulum. ſiſtito. urbis. collium. fluminum. agrorum. alpium. aſpectu. laborem. lenito. Abi. perge. pius. DEI. Matrem Virginem. Salutato. ſtratæ. viæ. commodum. pijs. precibus. rependito.

AREOLA XXVI.

INSCRIPTIONES FONTIUM.

Romæ Via Flaminia.

SI humano ingenio perpetuò parari viatoribus vina potuiſſent, non amænum quem cernis fontem C. Lepidius magna impenſa adauxiſſet. Pota felix.

Pariſijs in Vico S. Antonij.

HAnc deduxit aquam duplicem Biragus in uſum;
Serviat ut domino, ſerviat ut populo.
Publica ſed quanto privatis commoda, tanto
Præſtat amore domus publicus urbis amor.

Renatus Biragus Franc. Cancell. publicæ commoditati.

Romæ prope Capitolium inſcriptio putei.

NOs vas condidimus, pluviâ tu Iuppiter imple,
Præſidibúſque tua rupis adeſſe velis.

Taruiſij ad Ciſternam.

PArcior è Cælo cùm quis deſcenderit imber,
Hic erit ingenti quod levet ora ſiti.
Nec tantùm hoc hominum poſuit ſolertia; verùm
In medio dulces æquore ſervat aquas.

Florentiæ fontis Aganippes.

QVem pellucidulâ manantem cernitis undâ,
Fons hic muſcoſis obſitus iret aquis;
Ni Tuſcos properè colles viſura tuliſſet
Cecinnæ campis Hernica Nais opem.
Deduxit rivos, ne quiſquam diceret hortos
Heſperidum poſthac eſſe, ſed Aonidum.

Inſcriptio fontis ad ædes Comitis Mansfeldiæ Petri-Erneſti, extra urbem Luxenburgum, verſus ſeptentrionem.

QUiſquis huc accedis, ſi te æſtus ſitíſve urget, hîc æſtum quietus vitato: ſitim pronus extingui-

tinguito, aquam manu haurito, os lavato: at pede ne turbato, nudo corpore ne polluito, quieſcentibus enim cariſſimæ uxoris manibus tranquillam undam ſacravit. Mariæ de nomine Mariæ fontem nuncupavit: æterni ſui amoris teſtes latentes vaſta ſub rupe lymphas erui; vivo lapide cingi, æternáſque fluere juſſit P. E. C. M.

Inſcriptio ſcatebræ Fontis celeb. Salisburg.

ISTHANC
DE MEDII MONTIS GRAVI UTERO
PURISSIMI PARTUS VIVAM SCATEBRAM
NE VIRGO AQUA MATREM DESERERET
CUM IPSO SAXO
EX QUO RECENS NATA PROSILIIT
IN PUBLICUM URBIS FORUM
UT NATURÆ ARS CERTARET AUGUSTIUS
EODEMQUE MONTE ET FONTE
QUO COEPIT CURSUM ABSOLVERET
MAGNIS IMPENSIS
PER XXX. STADIA INTRODUXIT
GUIDOB. PRINCIPIS IN CIVES AMOR
HOSPES
UTRUMQUE OCULIS EMETIRE
ET SI GRATUS ES
VIVA ASPERGINE DIIS LIBA.

Epigra-

Epigramma in eundem Fontem.

MArmoreo quæ nata ſinu, ſtrepitúque gelúque
Ex rima in terras nobilis unda meat,
Ibit ad urbanas longis deductibus ædes,
Quæ modò ſylveſtris, te Duce nota fluet.
Quas natura dedit niveo de marmore lymphas,
Fac Guidobalde tuæ fiat ut artis opus.
Collige nunc marmor, fontem de fontibus orna,
Dicet poſteritas, hunc poſuiſſe Deum.

Poëma, quod Celſiſſimo Principi, erecto jam fonte, pro novi anni 1661. gratulatione oblatum fuit.

PUrpureos jam læta ſinus Tithonia Conjux
Extulerat, roſeóque diem patefecerat ortu,
Puniceo velans pallentia ſidera vultu;
Felici terris cùm Phœbus ſidere lucem
Diſpenſat, cujus novus incipit annus ab Ortu.
Faſtorum genitor, bifronti vertice fulgens
Invehitur, bigâ veloci Temporis uſus,
Advertit geminos terris vultúsque JUVAVIS.
Has ubi bisgeminis Oras rimatur ocellis,
Vidit, quos circum numerat vicinia, montes
Aſſultu & ſcopulis vitulantibus edere plauſus:
Hæſitat attonitus, dubius cauſámque requirit
Lætitiæ inſolitæ, quâ ſint dulcedine capti?
Mox de Primatu noſcit contendere Montes. (ſtros,
E quibus, imbriferos Mons qui ſe vertit ad Au-
Non delendum ignem, caſtâ qui lucet in arâ,
Virgineámque domum jactat, penetralia Veſtæ.
Námque ibi, perpetui refovent quæ luminis ignem,

Candida Nympharum, Veſtali ſchemate, turba,
Atque incincta caput viridantis termite olivæ,
Thurea dona ferunt ſacris ſolemnia flammis,
Vultu omnes hilari, feſtiváque carmina dicunt,
Lucinam ob victam, fractóſque Cupidinis arcus.
E regione autem Conſus (ſolet ille præeſſe
Conſilijs) inter Patres ætate verendos
Ibat ovans, Primáſque *ſuo decernere Monti*
Contendit. Fulget ſublimi culmine rupis
Arx, quæ Caucaſeo ſurgens tutiſſima ſaxo,
Martis ad obſequium minitatur vallibus iras.
Hinc Mars, ignito rutilat cui ſidere vertex,
Tormentíſque manúque petit defendere montis
Primatum; aſſiſtunt celſa cervice feroces
Marticolæ, & magnis feriunt clamoribus auras.
Improbat at Conſus, totus Patrúmque Senatus.
Tum qui Phœbeos excelſior aſpicit ortus
Mons, cui dumivagæ nomen tribuêre Capellæ,
Per Pana & Dryades, fæcunda ob paſcua circum
Vicinos colles, Primas *retinere volebat.*
Capripedes Satyri, & quatientes cornua Fauni
Feſtivos addunt ignes, Montémque ſerenant;
Perſonuêre ſuas circùm bona turba choreas
Cum Faunis Dryades, juſſit Pater ipſe IUVAVUS.
Solis ad occaſum, quà ſaxa minantia Cœlo
Mons tollit, famâ multis memoratus in Oris:
Frigidulis nitido currens è marmore *lymphis*
Fons *pellucidior vitro, niveæque videtur*
Cryſtallo ſimilis, quo nulla ſalubrior unda.
Accurrit numeroſa Charis, docilẽſque vocari
Hinc atque hinc geminis glomerantur Oreades alis.
Huc

Huc etiam Superi properant (ſua quemque voluptas
Ocyùs ire jubet) varijs circùmque ſupráque
Ritibus exultant, & feſto more choreas
Exercent, celebríque tremunt cita culmina plauſu.
Lymphis, & dulci gaudebant murmure Fontis.
Impiger interea ſcindens Cyllenius auras
Huc properat, ventis, & fulminis ocyor alis:
N*on ſecus ac tectis, ubi Fors mutata, Columba*
Fertur in arva volans, liquidóque per aëra lapſu
Radit iter, fugiénſque leves vix commovet alas.
Montis ubi volucri tetigit jam marmora plantâ,
Ad Divos læto tales dedit ore loquelas:
Fons, *quem perſpicuâ manantem cernitis undâ,*
Ibit ad urbanas longis deductibus ædes,
Munere GUIDBALDI, Turrita Juvavia *vultu*
Atque ſinu excipiet grato; tum fontibus imis
Lympha hæc exiliet, Crater ubi ſydera contra
Marmore perfectus ſolido jaculabitur imbres,
Excipiétque iterum lapſos, reddétque fluentes.
Rara operi eſt ſpecies: ingens terríſque Juvavis
Gloria. Quo dicto, majora Diíque Deæque
Gaudia ceperunt animis, Fontémque *ſacrârunt*
Ritibus inſolitis. Phœbus vultúmque comantem
Immersítque caput, quo pulſus noxius humor
Hoc de fonte fuit. Procumbit docta Minerva
In genua, atque cavâ laticem de gurgite dextrâ
Haurit, & epotis largè ſe proluit undis.
Delia venatu veſtigia denſa ferarum
Perluſtrans, Fontis pronâ bibit aure ſuſurrum;
Acceſſit defeſſa, undis frontémque lavabat:
O mihi frigidulæ, & dulces ante omnia lymphæ!

Non magis ulla levat laſſati corporis æſtum
Unda; inquit, rivóque ſitim ſolatur & æſtum.
Hinc bibit ut Bromius, potatâ ſanior undâ
Cornua confeſtim poſuit, ſolutúmque furorem.
Adfuit ipſa Venus, miratáque marmora *montis*
Candida, *jam proprium cœpit contemnere cuprum:*
Hæc pincerna Jovis Ganymedes flumina guſtans,
Cratere aurato ſalientes excipit undas,
Atque Aquila celeri contendit ad aſtra volatu;
Ad menſam ſummi lymphas tulit ille Tonantis.
Poſt hæc turba Deûm varijs concentibus auras
Mulcent; Orpheas iterum rediiſſe putares
Muſas, aut inter Delphinas Ariona plectro
Ludere jurares. Jungúnt planſúſque jocóſque;
Ambroſiam veluti nectárque ex fonte bibiſſent,
Nectar, quo nullum gens interitura per ævum
Divorum ad menſas cœleſtia pocula miſcet.
Tum Pater Aonius, ſacra talibus ora reſolvit:
(Et fatum eſt quodcunque canit.) Pia Numina vatū,
Parcite jam, Muſa, ſi non, velut antè ſolebam,
Fontibus Aonijs, doctâque Heliconis in undâ
Mergo chelyn, veſtráſque peto, quas Pegaſus ungue
Rupit, aquas; aliam ſitio pretioſius, iſte
Quam niveo mons nempe dedit de marmore, lymphă,
Quâ ſe natura genius miretur in unda.
Has ergò própter, tum candida marmora, *lymphas,*
Inter vicinos excelſa cacumina Montes
Mons hic primatum *teneat, ſempérque tenebit,*
Lucida dum current annoſi ſydera Mundi.
Conclamatur Jô: vocem reſonabilis Echo
Reddit Jô; montis decantat turba triumphos.

Applau-

Applauſère unà Nymphæ, cantúmque dedêre:
Arriſêre illis ſylvæ, colléſque ſupini.
Muſæ Pierides digitis agitare ſonoris
Barbita, Lesboum ſuperant quæ pollicis ictum;
Unaniméſque ſimul ſtatuunt, Helicone relicto,
Hoc poſthac habitare loco, ſedéſque locare
Ad gelidum hunc fontem, ſpretis Aganippidos undis.
Hæc ubi percupido conſpexit lumine Janus,
Hos montes ſacraque fidem præſtare Tiaræ
GUIDBALDI juſſit; celeri properavit ad Aulam
Bigâ, quà reſidet Princeps, populóſque gubernat,
Excelſos inter montes Excelſior Ipſe.
Vota tulit, plausúſque dedit, ſic ore locutus:
Tot lætos Tibi Fata dies, tot amica redonent
Tempora, quot guttæ manant de gurgite Fontis:
Conſtans & ſine nube Tibi fortuna perennet,
Atque tuum memori ſemper ſtet marmore *Nomen.*

Fontis Oetingani.

I.

Publico Bono
Fonti Aquæ Salientis,
Mariæ ab S. Ruperto Boiorum
Apoſtolo, Veteri Patronæ,
Inter Patriæ hoſtiles flammas
Novæ in ſuam urbem hoſpiti,
Ut porrò in ſalutem flueret,
Hunc fontem expoſuit Paris Archiepiſc. Saliſb.
An. D. cIↃ. IↃc. XXXVII.

II. Public. Gratit.
Fonti gratiarum Mariæ,
Quòd Provinciam Salisburg. inter
Ardens Germaniæ buſtum
Sanam , Salvam
Mater gratiæ conſervavit,
Gratus hunc fontem poſuit
Paris. Archiepiſc. Salisburg.
A. D. cIↄ. Iↄc XXXVII.

Auguſtæ Vindel. in columna fontis Auguſti.

Imp. Cæſ. Divi F. Auguſto Parenti Colonia Auguſta Vin. Poſ. An. à Chr. Nato M.D.XCIII.
Imp. Cæſ. Rudolpho P. F. Aug.
Anno à Col. Ded. M.DC. V. Joàn. Velſerus II. Vir probavit.

Ibidem ad fontem, cui Mercurius inſiſtit.

Induſtriæ Recti amore temperatæ.
Joannes Velſerus, Octavianus Secundus Fuggerus, II. Viri locarunt Anno poſt Chr. Natum cIↄ. Iↄ. XCVI.
Ædilium cura priſtino decori reſtituit.
Joanne Caſparo Rempoldo, Davide à Stetten II. Viris.
Hieròn. im Hof, Bern. Relingerus II. Viri renovàr. Anno poſt Chr. N. cIↄ. Iↄc. XXVIII.

Ibidem ad fontem Herculis.

Joannes Velſerus, Octavianus Sec. Fuggerus II. Viri locaverunt An. P. Chr. N. M.D.XCVI.

Quiri-

Quirinus Rechlingerus, Marcus Velſerus II. viri probaverunt. An. P. Chr. N. M.DC.II.

Ad Nymph. Dormient. Romæ.

HUjus Nympha loci ſacri cuſtodia fontis
Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava murmura, ſomnum
Rumpere; ſive bibas, ſive lavêre, tace.

In Vicinia Patavij.

FOnti nomen ineſt, hoſpes venerare liquorem,
Unde bibens cecinit digna Petrarcha Deis.

In foro Bonon. ad fontem.

PIus IV. Pontif. Max. in majorem civitatis uſum deductam in forum ex montibus ſcaturiginem, illinc quoque in plateam hanc derivandam atque exornandam mandavit. P.Donato Cæſio Epiſcop. Narn. Bonon. gubernatore. M.D.LXV. ære pub. S. P.Q. B. Felicitas publica.

Ocriculi ad fontem oppido Vicinum.

MOnte ſub hoc triplici cunctis fluit unda ſalubris,
Qua levet arentem, ſi cupis, apta ſitim.
Siſte gradum, repara vires hoc fonte viator.
Dic precor ut vireat mons ſimul iſte diu.

Inſcriptio fontis Bredenbergenſis.

FOns ego communem ſcateo facundus in uſum,
Tota domus de me commoda multa capit.
Nec pretium poſco, nec egenti denego cuiquam;
Gratuitas ex me quilibet haurit aquas.

Utque queam ſemper dare, nunquam copia dandi
Deficit, & damnis augeor ipſe meis.
Cùm prior egeritur, ſemper nova proſilit unda,
Dum ſucceſſura cedat & illa locum.
Si licitum eſt magnas parvis componere rebus,
Hi Domini mores, qui meus author erat.
Is patriæ talis (fas eſt laudare ſepultum)
Exſtitit, & multis munera larga dedit.
Ejus erat domus, ut portus communis, habebat
Hic ſibi ſperatam quiſquis egebat, opem.
Ut faceret, vires & opes fortuna merenti
Contulit, & largâ præbuit uſa manu.
Sic patriæ, dum vita fuit, ſervivit amatæ,
Ereptam multis aſſeruítque malis.
Nec mercede caret, nunquam licet ipſe petivit,
Gloria defunctum ſponte ſecuta manet.
Ad patris exemplum ſeſe componere natus,
Hunc qui me cultum juſſit habere, ſtudet.
Sed mihi viventem pudor eſt extollere verbis:
Qui legis hæc, illi fauſta precare, Vale.

De fonte Romano Navis effigiem habente.

B*Ellica Pontificum non fundit machina flammas:*
Sed dulcem, belli quâ perit ignis, aquam.
Maph. Barberinus.

Fontis, in quo ſtatua Dianæ dormientis.

P*Er ſylvas jaculis nuper curſúque, Diana*
Gaudebat celeres exagitare feras:
Nunc defeſſa jacet permulcens membra ſopore,
Hic ubi proſiliens leniter unda fluit. **Mar-**

Marmoream ne crede: levem leni aëra motâ
Ducit, & in vivo ſpiritus ore ſonat.
Non audis? ſimili ſopitæ, murmure murmur
Confundens, aures garrula fallit aqua. Idem.

Sepulchralis Urna pro fonte, in atrijs Romanorum.

M*Armor, quod quondam cineres atq; oſſa tegebat,*
Nunc fons irriguo murmure fundit aquas.
Nempe brevis queritur trepidantia tempora vitæ,
Et quæ ſervavit funera, fortè gemit.

De Eodem.

Rerum diſce vices: abit in cratera ſepulchrum;
Quáque cinis fleterat, mobilis unda fluit.
Hinc hoſpes ne pelle ſitim; ſed parcius hauri,
Ne redeat, crater quod fuit, urna tibi.

In Gallia extra Lugdunum in domo la Clajre dictâ.

H*Anc ornans Clarâ Claram clariſſimus undâ*
Clara fuit, clarus quo ſua clara forent.

Ibidem in Villa la Duchere ciſternæ inſcriptâ:

BENEDICITE FONTES DOMINO.

Ibidem ad latera fontis.

SIC ORIUNTUR OPES.
SIC MORIUNTUR OPES.

In Urbe Claromontana fontis ad aulam Epiſcopalem inſcriptio.

URbis æternitati fontem hunc perennis aquæ eximio cratere ſiphunculis pluribus

 ornatum,

ornatum, Ambaſiæ Præſulis munificentiâ ſummo urbis clivo conſtitutum, vetuſtate & Caſtellorum vitio interruptum, Scabin. Clar. canalibus plumbeis exceptum uſui publico reſtituêre, Anno M. D. LXXIII.

Er. Pu. Op. per.

Chap. arti. faci.

Romæ in fonte Symachi Papæ.

PErdiderat Laticum longæva incuria curſum,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.

Inſcriptio Fontis linguâ priſcâ.

Ceivis, Moinieeps, Meiles;
Accola, Incola, Concola;
Queiqueis ſuas 'Ameicus Homon;
Reſtitato ac legito,
Pumicoſæ hæ latubræ, dulce collacrumantes,
Et blandienter mellifcatentes hei latices
Per florulentas vortugines dulci efflovio proſerpiginoſci,
Oculis ſpeculom, labris deliciom, auribus concentom
Perenni lubentia dono danunt.
Hic ergo pro arbiterio, ac volupe
Spectato, potato, adquieſcito.
Quo lacte Mundi primævitas fructa eſt, felix fruitor.
Puræ Acuæ puris Licento.
Atſi queis factioſus Bacchei latero,
Nympharum Lymphis nequitûs obtrectaſſit;
Ollus Lympharum Nymphis deteſtabilis,
Tanta-

Tantalea raviarſibiliter ſiticoloſus
In acua parareſcere, in flovio perſitiſcere
Damnas eſto:
Hoc faus ſartom, omneis ſciunto.

Emmanuel Theſaurus.

Ejusdem Inſcriptiones Fontis Pliniani, in Larij Lacus margine; qui ſaxea è Rupe ſenis horis fluit, totidémque refluit.

BIBE DUM FLUO, MOX REFLUAM, SIC EUNT OMNIA.

Alia Inſcriptio.

ALternâ alternos requie reparare labores
Te monet hæc tellus: te mea lympha monet.

Alia.

Eſſe obſequendum tempori, hic amnis docet.

Alia.

Cur modò dat fluctus, fluctus modò denegat hic fons:
Opéſque dubiâ fundit, & condit, manu?
Mortales donare docet, non perdere dona,
Dat liberalis ſæpè, ſemper prodigus,

Alia.

Hic, qui naturæ ſuperat miracula fluctus,
Te ſolum, (1) Plini, promeruit dominum.
Scilicet ingenijs illudens omnibus unda,
Solius Domini vincitur ingenio.

1.) Plinij naturalium rerum Scriptoris, villa hæc olim fuit.

Fontis Felicis Romæ ſub area S. Suſannæ.

SIxtus V. Pontifex Max. Picenus, aquam ex agroColumnæ viæPræneſt.Siniſtrorſum multar. collectione venarum ducto ſinuoſo receptaculo Mil. XX. à ca. XX. adduxit,Felicemque de numine ante Pontif. dixit. cæpit Pont. Anno I. abſolvit III.

Romæ in Apoſtolici palatij area.

Aquam Vaticani collis
Incerto olim à capite deerrantem à B. Damaſo inventa ſcaturigine ad lavacrum novæ
generationis in fontem corrivatam rurſus amiſſam
Innocentius X. Pont. Max.
Conquiſitam repertámque,
Ac mirè probatam
Fonti recens extructo reſtituit, ut in urbe aquis peregrinis affluente,
Ædes Vaticanæ ſuam hanc
Haberent gemina ſalubritate
Gratius hauriendam.
An. Dom. M. DC. XXXXIX.
Pontificatus ſui V.

Romæ in Campo Martio.

LAc pueris lupa dulce dedit non ſæva gemellis,
Sic vicine lupus dat tibi fontis aquam;
Quæ fluit aſſiduè, quæ lacte eſt dulcior ipſo,
Purior electro, frigidiórque nive. Hinc

Hinc igitur lymphas benè terſâ ſedulus urnâ,
Et puer, & juvenis portet anúſque domum.
Fonticulo prohibentur equi, prohibentur aſelli,
Nec canis hinc fœdo nec caper ore bibat.

Romæ.

Paulus V. Pont. Max.
Craterem loco dejectum, quo Julius II. erutum è ruinis thermarum Titi Veſpaſiani conſtituerat, renovatâ exornatâque Baſi reſtituit
Pontif. Anno V.

Ibidem.

Paulus V. Pont. Max.
Craterem annis amplius XL. terra obrutum ad hujus ampliſſimi theatri vetus ornamentum effodiendum erigendúmque curavit
Pontif. anno V.

Ibidem.

QVid miraris Apem, quæ mel de floribus haurit,
Si tibi mellitam gutture fundit aquam?

Romæ in Janiculo.

Paulus V. Pont. Max.
Aquam in agro Braccianenſi
Saluberrimis è fontibus collectam
Veteribus aquæ Alſietinæ
Ductibúſque reſtitutis
novíſque additis
XXXV. ab milliario duxit.

Anno Dom. M. DC. XII.
Pontificatûs ſui ſeptimo.

Romæ ad fontes S. Pauli.

PEtrus Diac. Card. Aldobrandinus S. R. E. Camerarius locum S. Pauli Apoſtoli martyrio, & trium Fontium, qui ex tunc præciſi capitis ſaltu emanârunt, miraculo inſignem, vetuſtate deformatum, æde extructâ magnificentius reſtituit & ornavit, An. ſal. M. D.IC. Clementis Papæ VIII. patrui ſui Pontif. an. VIII.

Romæ in fonte quodam areæ Collegij Scotorum.

Urbanus VIII. Pontif. Max.
Fonti ad publicum urbis ornatum extructo
Singulorum uſibus ſeorſim commoditati
hic conſuluit
Anno M. DC. XLIV. Pontif. XXI.

In alio fonte.

FUndit aquam Eridanus, Phaeton ruit æthere ab alto
Temperat iſte ſitim, temperat iſte animum?

In fonte ante S. Mariam transtiber.

QUod blando facilem producit murmure ſomnũ,
Quæ cadit, & tremulos efficit unda lacus.
Quòd ſumus puros hauſtus, nitidéque lavaris,
Inſtauratori gratia habenda Lupo.
Res animúmque ſuum ſpectans dic, Romule, verum,
An minùs hic pater eſt, quàm lupa *mater erat.*

De

De fonte lapideo ab Urbano VIII. in Declivi planitie montis Pincij ſub forma navis extructo.

Saxea conſurgit fontano è gurgite navis,
Quæ medio vitreas pectore fundit aquas.
Vidimus æquoreas decurrere ligna per undas,
Sed mergi liquidis lubrica ſaxa vadis:
Sola, Urbane, tuæ ſunt hæc miracula vocis,
Juſſiſti, & placidis petra ſuperſtat aquis.

Joan. Aloyſ. Cerchiarius.

Fani, in foro majori.

Gregorij XIII. æternæ memoriæ, ductum craterémque fontis, inſignibus ornatum, fides Fanenſium dicavit, anno M. D. LXXVI. Benedicto Buccantio Patrit. Romano Fanum gubernante.

Decuit ſanè perennes latices Gregor. XIII. Pontif. Max Senatum Fanenſem pro ſua fide cultúque in foro dedicare, cùm ipſe orbi ſeſe Religionis, Juſtitiæ, pacis fontem inexhauſtum præſtet.

Antverpiæ in area Collegij S. J. inſcriptio Fontis, cum Termino.

Hoſpes,
Heic ſta.
Veniſti ad Terminum.
Cur porrò ego ſtem, diſces,
nam doceo.
Ut aquas pede,

ita

ita terram
mente calco.
prorsū quoi qua poſſum,
Rigo ſiccos:
Quod haurio,
id
abunde refundo.
Credes, ſi vel ferrū motes.
Hoſpes
abei,
mei memor,
demum
ad me reverſurus.

Inſcriptio Fontis, cui Bacchi ſimulacrum inſiſtebat:

IMpoſitam lacūi magno qui cernis Iacchum
Meiere, ſed liquido rore replere lacum.
Digna velit Baccho largiri munera, poſce,
Pro gelidáque undâ feruida muſta dare.
Tum pateat veſica illi, nec calculus obſit,
Semper ut expulſa vina bibantur aqua.
Janus Nicius Erythræus.

Alterius, in quo Pegaſus Phœbo Muſiſque circumdatus.

HIc, ubi dulce ſonat cygnorum cantibus æther,
Atque Helicona novum Lucius inſtituit,
Conſpicuum latè fontem ſalientibus undis
Durus pegaſei ſuſcitat unguis equi;
Ut ſit, ubi dominum tollatis in æthera, Muſæ,
Et teſtudinea, Phœbe ſuperbe, lyra,

Quib-

Quilibet inſolito premeretur pondere, veſtræ,
Phæbe & Pierides, hoc erat artis opus.

Janus Nicius Erythræus.

Aqua Martia Romæ.

Quà licet, aëriæ vitreo pede currite Nymphæ,
Saxeus audaces evehet arcus aquas.
Ardua Roma jubet: terras quæ vicit, & æquor,
Molle pati docuit aſpera ſaxa jugum.

Balduinus Cabillavus.

Inſcriptio Fontis in pago Munſterdorf.

HUnc fontem, olim D. Sixto ſacrum, & potu contra febrim ſalubrem, vetuſtate collapſum H. R. anno Domini 1587. reſtauravit.

Non procul à celebris Bredebergæ manibus arcis
Fons eſt, qui Sixto dicitur eſſe ſacer:
Corpora lethali qui febre levare putatur
Horrida, quæ quarta luce redire ſolet.
Scilicet hæc virtus patuit per ſomnia Galli,
Ex quo quis medicas hauſerat æger aquas.
Hunc pius Henricus Ranzo reparavit, & illi
Reſtituit fonti, quod fuit antè, decus.

Romæ in hortis palatij Vaticani.

Paulus V. Pont. Max.
Palatij Vaticani in locis multis inſtaurati atque
Amplificati ſplendorem, Hortorum adjacentium
Amænitatem perenni ſalubris aquæ copia de
Suo nomine nuncupatæ revocavit, auxit
Anno D. 1614. Pont. VIII.

Fontis.

AMant ſolitudinem fontes; quia illic innocentes fluunt; Derivantur in urbem inviti, quia illic nocentes fluunt. Inquinantur ſceleribus, dum ſcelera abluunt; Extra urbem Nymphæ, ſæpè intra urbem ſunt Veneres.

Petrus Labbe.

AREOLA XXVII.

HORTORUM INSCRIPTIONES.

Antverpiæ in hortis Laurentij Beyerlinck.

Introeunti Hortus edico,
Hoſpes qui ſuburbanum hoc inſpecturus venis,
Ne ex grato ingratus fias, hæc juſſa audito.
Quocunque & paſſim ambulato,
Ubicunque & paſſim quieſcito,
Floréſque fruticéſque audax luſtrato,
Oculiſque naribúſque libato,
Manus ne inferto.
Rixoſus, Harpax, Serius, Gerro, Helluo,
Curax, vel urbis proximæ faſtum tenens,
Limine abſtineto.
Voluptatis hic locus eſt,

Quie-

Quietis hic locus eſt,
Hanc & illam ſectarier herus jubet,
Dein ſalvum te abire.
Secus ſi vis, aut facis;
Tu Flora, túque hortorum Præſes Deus,
Vindicato.

Alia in horto ejusdem ſuburbano.

QUem juvat curis animum moleſtis
Solvere, & diri rabioſa vulgi
Jurgia evitans relevare mæſtis
Pectora curis:
Hic ſalutares ſubeat receſſus,
Ver ubi æternum, rutiliq́ue flores,
Et maris ros eſt, & Apollinaris
Germina Lauri.
Hic datur gratâ reſidere in umbrâ,
Otium feſſis datur hic Camænis,
Et novum curis ſimul expeditis
Promere carmen.

Ante fores ejusdem:

MODESTÆ VOLUPTATI, NON VANITATI:
QUIETI NON TORPORI.

In Horti publici veſtibulo Patavij.

ANGELO MARCELLO,

QUòd Muſarum vireta ſilveſcentia interluſcaverit, atque areſcentibus herbis Caſtalios latices induxerit, nudiſque ſtirpibus florum coronamenta naturæ mundum adjecerit.

Quo tempore urbis Præfectus eradicato o-

omnis hoſtilitatis aconito paciferas oleas lauris triumphalibus inſerebat. N. B. M. P.

In Beluedere ſeu Hortis Papæ. Romæ.

PIus IV. Medices Mediolanenſis Pontif. Max. quò commodiores honeſtioréſque ſibi ſucceſſoribúſque hortos Vaticanos redderet, complures aulas, cubicula & ſcalas, circum ſupráque hemicyclum, pleraque à fundamentis extruxit: quaſdam in veterem formam reſtituit, atque exornavit, ann. ſal. M. D. LXII. Pontif. ſui ann. III. Kalend. Jan. abſolvit.

Ibidem.

Pius IV. Medices Mediolanenſ. Pontif. Max. hanc in nemore palatij Apoſtolici aream, porticum, fontem, ædificiúmque conſtruxit, uſuíque ſuo & ſuccedentium ſibi Pontificum dedicavit, Anno ſal. M. D. LXI.

Leidæ Lipſiani Horti lex in ipſo aditu, ſub perſona bifrontis Jani. B. F.

Quiſquis es, ſta, lege, pare.
Janus ad hoc limen ſic edico.
I. Horto & hero fruendi tibi jus eſto:
Sed illo ad aſpectum, iſto ad ſermonem.
Niſi oculis, quidquid heri ſatum aut natum,
Ne libato.
Tiro eſto, manum apud te habeto,
Si effers ad tactum aut ad raptum:
Verbo dicam, te efferto.
Sed nec hero uſque quaque fruitor.

Ante

Ante ſextam Veſpertinam ne adito:
Poſt ſeptimam ne maneto.
Horæ aliæ ad alias illi curas.
Heic cogitat, heic pangit:
Stilus heic eſt, abi muſca.
Quid ſi & cæna? abi muſca.
III. Sermones etiam ne exlêges:
Jocari licet:
Narrare licet:
Rogare licet;
Sed nihil ſerium!
Gratiarum hic locus eſt.
IV. Si qnid amænius tamen in ſtudijs,
Inter ambulandum
Diſſere, doce, diſce.
Et Muſarum hic locus eſt.
V. Tu qui ſerioſus,
Tu qui rixoſus,
Exeſte.
Cluſius ego ſum vobis.
VI. Canis, præter unam, emaneto.
Hecuba, præter unam, emaneto.
Habes? hoc etiam.
Quoquò te agis, te video!

In hortum juſti Lipſij Janus Douſa F.

Felix hortule ter quatérque fclix,
Qui, ſeu ver Borea fugato apricam
Inducit Zephyri tepentis auram,
Seu ſol igniferum premens leonem
Exuſtos graviter hiulcat agros,

Præbes Lipſiadæ ſuos receſſus:
Muſæos & amabiles receſſus.
Quo te carmine, quo canemus ore?
Non mendacia vana te vocabunt
Ad Cœlum Hellados ulla fabuloſæ:
Non Afri auriferum nemus Draconis,
Non pomaria Tantali; atque mille
Florum in aëre penduli colores:
Sed cultoris honos decúſque clari,
Dîs magnis quoque reddet invidendum,
Cùm præ vallibus ipſa te beatis
Conjux aſſiduè colet Favoni.
Et vos Alcinoo beata tali
O florentia gramina atque plantæ
Debentes pluvio nihil Tonanti;
Nam ſufflamine vos ſui Favonî
Fovet Lipſius ipſe, Muſicique
Semper nectaris irrigat lepore.
Quo vos carmine, quo canemus ore?
Non mendacia vana vos votabunt
Ad Cœlum Hellados ulla fabuloſæ:
Non planta Idaliæ cruenta Divæ,
Excuſsúſque truci puer novercæ,
Et reſperſa ſacro liquore terra;
Non gleba Oebalio madens cruore;
Non Narciſſe tuo rigata fletu.
Sed cultoris honos, decúſque clari
Dîs magnis quoque reddet invidendos;
Cùm pro nectare cælitum beato
Veſtro Juppiter imbuet ſe odore:
Felix hortule, gramina ô beata:

Propter vos, Heliconios Apollo
Fontes linquit, & antra ſæpè Pindi;
Nec abſque invidiæ tacente morſu
Hortum Lipſiadæ videt beatum
Præ ſuis celebrarier viretis.

Patavij in horti Medici Veſtibulo.

I. PORtam hanc decumanam ne pulſato ante diem Marci Evangeliſtæ, nec ante horam XXII.

II. Per decumanam ingreſſus, extra decumanam ne declinato.

III. In viridario ſcapum ne confringito, neve florem decerpito, ne ſemen fructúmve ſuſtollito, radicem ne effodito.

IV. Stirpem puſillam, ſuccreſcentémque ne attrectato: néve areolas conculcato.

V. Viridarij injuria ne afficiuntor.

VI. Nihil invito præfecto attentato.

VII. Qui ſecus faxit, ære, carcere, exſilio mulctator.

Bononiæ ante hortum quendam.

URbs habeat curas, qui me mihi reddit agellus,
Exigit ingenuis gaudia mixta jocis.

Ante alium.

Hortule ſac placeas, ſac hortule dulcis inemtas
Ut ſundat domino libera menſa dapes.

Ante alium.

Has ædes genio ſacravimus, utere quiſquis
Hoſpes es, at lingua & moribus eſto probis.

Uti cuique ſuis licet. Hæc ne carpe voluptas
Ingenua eſt animi quantulacunque mei.
Si quæ fortè juvant oculos, ne parce viator;
Quilibet hac uti commoditate poteſt.

Ad Hoſpites.

Invide, quod nequeas imitari, carpere noli.
Nil niſi cum ſumptu mentem oculósque juvat.

Ad oſtium horti.

Garrule contineas linguam túque invide dentem.
Hoc volui. Cæptum carpe viator iter.

Salisburgi in hortis Principis, vulgò Hell-Brun/ *Palatio inſcriptum.*

Quæ circumſpiciens ædificata cernis, Marcus Sitticus ex Altemſijs Com. Archiepiſcopus Salisburg: ad Succeſſorum ſuíq; Animi levamen, decimo quinto menſe fundavit atque perfecit, Anno Domini M. DC. XV. Principatûs IV.

Ibidem Cella Vinaria hanc præfert inſcriptionem.

HOrtum abſolutum cætera, unum calidius deſiderare, Cellæ Vinariæ æſtivum frigus, audivit & adjuvit Guidobaldus Archiepiſcop. ex Com. de Thun. M. DC. LIX.

Ad imaginem Floræ, Romæ.

FIrmum corporis robur, caſtáſque menſarum delicias, & beatam animi ſecuritatem amatoribus meis promitto.

Ad

Ad effigiem Genij. ibid.

QUis tu late puer? Genius. cur dextera ariſtas,
Læva uvas, vertex curve papaver habent?
Hæc tria dona Deûm, Cereris, Bacchi atque Soporis:
Námque his mortales vivitis, & Genio.

In Hortis palatio Proregis Neapol. proximis.

BErnardinus Rota Muſis hortos dedic. Ratus eas hilari hujus cœli poſitione allicere; atque ita fortaſſis amicas fore. 1555.

In Hortis antiqui palatij.

ALfonſus Ferd. Arragonius, Dux Calabriæ, Genio domum hanc, cum fonte & balneo, dicavit: hippodromum conſtituit: geſtationes hortis adjecit: quas myrtis citriorúmque nemoribus exornatas, ſaluti Soſpitæ, atque voluptati perpet. conſecr.

In vicinia Patavij, in aditu Horti.

IMpune hic Cererem ſumas, impunè Lyæum:
Intactas habeat dum mea laurus opes.

Ante hortum cujusdam Equitis Melitenſis, Favent.

SAtis dives, qui non indiget pane, Satis potens, qui non cogitur ſervire. Civiles curæ procul hinc abite. Sabbas Caſt. Solitarius, ſe ipſo contentus, hos ſecuros incolit hortulos. pauper an dives, ſi cordatus es, cogita. Vale.

Lipſiæ in quodam Horto.

HEus tu, quiſquis in hac furtim viridaria reptas,
Ne continge tuâ non tua poma manu.
Sed tangis video: faxit Deus ergo quod opto.
Cum malis noſtris & mala noſtra feras.

Lugduni Batavorum in aditu Horti Academici:

USUI, ORNAMENTO
ACADEMIÆ
CURATT. ET COSS. JUSSU
STRUCTUM OPUS
ANNO A NATO CHRISTO
cIↃ.IↃC.

Hortum ingreſſus, ad ſubſcripta reſpicito.

I. STatutâ à Præfecto horâ Hortum ingredi fas eſto; examine finito, egreditor.

II. Ingreſſis, ſtirpes videre licet, odorari licet,: tenellas, ſuccreſcentésve tractare, læderéve non licet.

III. Ramos, flores, ſemina decerpere: ſcapos confringere: bulbos, radicéſve evellere: Hortum injuriâ afficere, nefas eſto.

IV. Puluillos, areoláſve, ne conculcato, tranſilitóve.

V. Nihil invito Præfecto attentato.

Montúpelij horti regij inſcriptio.

Frontiſpicio Regis inſignia appoſita, cum hoc lemmate:

HIC ARGUS ESTO, NON BRIAREUS.

Inte-

Interius primum ambulacrum Henrici IV. Regis, Reginæ uxoris, & filij Delphini oſtendit Icones, & inſcriptionem:

Utilitati Publicæ.

HEnricus IV. Galliarum & Navarræ Rex invictiſſimus, ut Muſis inter armorum ſtrepitus, militaréſq; efflagitationes ſua ſacra reſtitueret, hæc Regiæ in ipſas clementiæ & clientelæ ſuſceptæ inſignia ponens, fortiſſimis Heroibus Henrico Duci de Montmoranci Galliæ conneſtabulo, Annæ De Levi Duci de Ventadour ac Provinciæ hujus Proregi, & Carolo de la Tour Duci de Boullion ac Galliæ Mareſchallo gratificans, celeberrimum hoc medicinæ ſacrarium viro rerum anatomicarum & herbaricarum Profeſſori donavit, perhonorificámque profeſſionis Provinciam Richardo de Belleual Doctori medico impoſuit, eíque diſſectorium & hortum hunc detulit, nec non ſuaſore D. Andrea Huralto D. de Maisle, in ſecretiori ſuo conſeſſu Conſiliario, proſapiâ functíſque per Europam legationibus clariſſimo & de hac Provincia meritiſſimo, Poſt perceptam loci commoditatem ſumma liberalitate amplificat, &c. &c.

Monimentum Valentini ſuburbani, Taurini.

Hic ubi fluviorum rex
Ferocitate depoſita placidè quieſcit,
Chriſtiana à Francia,
Sabaudiæ Duciſſa, Cypri Regina,
Tranqui-

Tranquillum hoc ſuum delicium
Regalibus filiorum ocijs
dedicavit.
Anno pacato M. DC. LX.

Hortorum Raconiſiorum inſcriptio exterior.

Digniorem hanc ædium formam,
Quam Thomas Princeps à Sabaudia
Bellis implicitus animo tantùm conceperat,
Emmanuel Philibertus Amedeus,
Paterni Principatus, atque animi ſucceſſor,
Tranquilliore tempeſtate perfecit.

Inſcriptio interior.

Hæc amænitas
Delicias alit, non deſidias.
Nam maximè operoſus cùm otioſus
Philibertus Princeps,
Jucunda ſolicitudine;
Hæc otia parans, otium fugit.

Emmanuel Theſaurus.

I*nſcriptio Vineæ Marchionis Aſcanij Bobbæ, cujus portam exteriorem nulli claudunt poſtes.*

Amicis Quod Ament,
Inimicis Quod (1) Amentur,
Semper æque Patet.

1.) *Laborabat ex nonnullorum invidia, quâ eo tempore à ſumma quadam præfectura repellebatur.*

Idem.

Inſcri-

Inſcriptio Vineæ, quam Curifugium vocant.

Huc ex urbe in Suburbium, viator, de via devia:
Ubi mera, ſed vera, & pia Volupia, Colono colit.
Varia hic ſpectacula, ut ſpectantes recreet,
Natura creat:
Hic rabidus, & rapidus Torrens, jucundè terrens,
Pari ruinâ & rapinâ ſaxa diruit, dum ruit:
Ut credas in gelidum fulmen mutari flumen.
Illinc lacteus latex, è gelido gelu fluens, refluens,
Flores educat, quos educit.
Hic fraga fragrant, ſerpillum ſerpit, roſa ridet:
Gratiiſque grata violaria, nullæ violant nives.
Atque ut Flora flores, ſic Pomaria Pomona pingit.
Nam coloris artifice calore,
Optimorum malorum omnigena genera,
Ramos ornant quos onerant.
Neque hic meridianus Apollo pollet.
Nam ſine luce lucus, ex vetuſtate venu-
ſtatem adeptus
Abditis Adytis, quos tegit protegit:
Silentique umbrâ mœſtis lætâ,
Teſtatur adeſſe Numen, ubi nullum eſt lumen.
Hîc perſonata perſonans Echo,
Mortua vivit, elinguis loquitur.
Per auras ludens, aures illudit.
Hic per avia profugæ aves perfugium nactæ,
Ingenito ingenio, ignotas notas
concinnè concinunt:
Luſcinia luget, Turtur trutilat, Grus gruit,
Bubo bubilat:

Quibus

Quibus occultatus, & oculatus Auceps,
Victum in viſco, fraudes inter frondes, apponit;
Et noto cantu excantatas, ſubdolè capit
dum canit.
Nullæ hic curiales curæ.
Non lata & alta palatia, ubi omnis motus eſt metus; & impotens potentia, timet dùm timetur.
Non hic amentes opum amantes;
Inopes inter opes, per vitia divitias quærunt,
Et aurum ſequuutur aura fugacius.
Non proditor livor, quod videt invidens,
Quos palàm ſectatur, clam inſectatur.
Hic innoxius ut innocuus ſolitudinis Hoſpes,
Solicitudinis expers;
Vilis, non ſervilis; contemptus & contentus;
Lucem ſine luctu, Noctem ſine noxa,
ſecum tranſigens;
Favente fato, parcente Parca,
longævo fruitur ævo!
Et inſtar Oloris, canit dum canet.
Brevi; utramque ſortem ſortitus dices:
Urbani mores in agris, agreſtes in urbibus ſunt.

Hanc formam ſequitur inſcriptio Vineæ Octavij Amedei, Taurini prope Eridanum:

TU QUI EX URBE, HOC IN SUBURBIUM
DIVERTIS;
JUCUNDA INCURIA,
INJUCUNDAS DIMITTE CURAS.
SOLICITUDINES ODIT HÆC SOLITUDO.
LIBER PATER, LIBEROS AMAT ANIMOS.

Puteo-

Puteolis in horto quodam.

PEtrus Toletus, Marchio Villæ Franchæ, Caroli V. Imp. in regno Neapolit. Vicarius, ut Puteolanos ob recentem agri conflagrationem palanteis, ad priſtinas ſedes revocaret, hortos, porticus, & fontes marmoreos, partâ victoriâ Africanâ, quam reportaverat, otio Genióque dicavit: ac, antiquo inſtaurato, purgatóque ductu, aquas ſitientibus civibus ſuâ impenſâ reſtituit. Anno à partu Virginis M.D.XL.

Hortorum Portuenſium.

Hortos Portuenſes
Cæſar olim moriens teſtamento
Legavit populo Rom.
Nunc Maximus Maximus
Ejusdem populi Delicijs
Vivens dedicavit,
Et ut gratiores ſint
Suo ſumptu elegantiùs excolit.
Anno Domini M.DC. XXIX.

Romæ in hortis Palatij Vaticani.

URBANUS VIII. PONT. MAX.

SUmmorum Pontificum commoditati, oblectationi, & ſecuritati Viridarij ſpatium ampliori protendit acceſſione, quam complanavit, hinc vallis imæ ſuperficiem attollens, collis inde ſummitatem deprimens. Areas additas aptè diſtinxit, irrigavit fontibus, & decenter excoluit. In Angulo Orientali domum, curarum inter-

ter-

termiſſioni receſſum, conſtituit. Excubijs militum Helvetiorum contubernia conſtruxit, & diſpoſuit. Hortos ambitu parietum undequaque concluſit.

Romæ in aditu horti Medicæi.

A Dextra.

ADiturus hortos, hoſpes, in ſummo ut vides
Colle hortulorum conſitos, ſi fortè quid
Audes probare, ſcire debes hos hero
Herique amicis eſſe apertos omnibus.

A Siniſtra.

INgreſſus, hoſpes, hoſce, quos ingentibus
Inſtruxit hortos ſumptibus ſuis Medices
Fernandus, expleare viſendo licet.
Atque his fruendo plura velle non decet.

Inſcriptio Labyrinthi.

INcertas ſylvas & inextricabile ſeptum,
Errantéſque vias, Dædala regna ſubis.
Dic labyrinthea jam latè indagine cinctus :
Hoc minùs ars errat, quò magis errat opus,
Balduinus Cabillavus.

Horti.

IMaginem vitæ cernis dum hortum aſpicis,
Flores & homines pari naſcuntur, & intereunt modo.
Hoc unum intereſt, exſpectatur flos plantæ,
Sæpè homini florere non licet.
Petrus Labbe.

AREO-

AREOLA XXVIII.

INSCRIPTIONES VILLARUM.

In Villa Archiepiſcopi Neapolitani.

V*Illam perpetuæ ſalubritatis*
Suburbi modò montis Exquilini,
Oliverius *ille Cardinalis,*
Doctæ clara Neapolis propago,
Hanc Caraffa pius ſuis amicis
Dicat omnibus. Hoſpites venite.

Rom*æ extra Flaminiam.*
DEO ET LOCI DOMINIS VOLENTIBUS.

HOc in ſuburbano omnium, ſi non quot in orbis, at quot in urbis ſunt ambitu, pulcherrimo, ad honeſtam potiſſimè voluptatem facto; honeſtè voluptuarier cunctis fas honeſtis eſto. Sed ne fortè quis gratis ingratus ſiet; juſſa hæcce ante omnia omnes capeſſunto. Quòvis quisque ambulanto, ubivis quieſcunto, verùm hoc citra ſomnum; circum ſepta illud. Paſſim quidlibet luſtranto; aſt ne hilum quidem uſquam attinguntò: qui ſecus faxint,

quidquamve clepſerint aut rapſerint, non jam ut honeſti moribus, ſed ut furtis onuſti in crucē peſſumam arcentor. Ollis verò, qui florum, frondium, pomorum, olerum aliquid petierint; villici, pro anni tempore, pro rerum copia & inopia, próque merito cujusque largiuntor. Aquam hanc, quòd virgo eſt, ne temeranto: ſitímque fiſtulis, non flumine; poculis, non oſculo aut volis extinguunto. Piſcium luſu oblectantor, cantu avium mulcentor, at ne quem interturbent interim cavento. Signa, ſtatuas, lapides, picturas, & cætera totius operis miracula, quàm diu lubet, obtuentor; dum ne nimio ſtupore in ea vortantor. Si cui quid tamen haud ita mirum videbitur; eorum cauſa, quæ nemo mirari ſat quivit, æquo potius ſilentio, quàm ſermonibus iniquis, prætereito. De hinc proxumo in templo Deo ac divo Andreæ gratias agunto: vitámque & ſalutem Julio III. Pont. Max. Balduino ejus fratri, & eorum familiæ univerſæ plurimam & æviternam precantor. Huic autem ſuburbano ſpeciem atque amplitudinem pulchriorem indies majorémque, ac in eo quidquid ineſt felix fauſtúmque perpetuum optanto.

Hiſce actis valento, & ſalvi abeunto.

In Monte Pizofalconio Neap.

Andreas Caraffa, S. Severinæ comes, villam hic ſtruxit, Caraffanámque appellavit; Lucullum imitatus parili animo, licet opibus impar

impar, atque ita ſanxit: Delicati Juvenes huc ne accedunto. Emeriti ſenes, nec inglorij, honeſta quiete hîc fruuntor. Viri docti boníque ingenia hìc exercento. Qui è Caraffa gentilitate fuerit, qui ſanctiones haſce non ſervaverit, ſuburbani hujus exhæres eſto, proximióroque ſuccedito. Anno M. D. XII.

Leges villicæ ſeu geniales, prope Bononiam in amœniſſimo prædio, dicto Caſalitutla, foribus inſcriptæ.

HAnc villulam, atque hunc agellum, qui animi aut valetudinis cauſa inviſerint, ne voluptas valetudinem, corporiſve curatio voluptatem corrumpat; neve locus quà ſacer eſt, violetur, aut quà cultus eſt, deſeratur, haſce obſervanto leges.

Deum Opt. Max. proximâ in æde primùm venerantor. Quidvis poſtea luſtranto, ſe ubivis exercento, ubivis quieſcunto; ſed hoc citra languorem, cis ſudorem illud. Servorum greges importunorum non modò à pomarijs; ſed procul ab utroque pomærio interea excluduntor. Si quos tamen miniſterij cauſa voluerint, paucos & modeſtos introducunto, qui nec hilum attingunto, inconſulto villico. Eis abeuntibus, pro anni tempore, pro rerum copia & inopia, pro cujuſque perſona, flores, frondes, ramuſculos, poma, olera, viritim villicus diſtribuito. Quos ruris dominus ad prandium cœnamve invitarit, curæ, mærores, triſtitiæ

in urbem remittuntor: voluptates honeſtæ; jocus, hilaritas remanento. Menſæ eleganter & ſplendidè ſine luxu ac pompa, aprico opacóve loco pro anni tempore parantor. Dapes ſolito lautiùs ac copioſiùs, ſed ad vitam vivendam, non ad mortem maturandam, apponuntor. Pocula, quæ ſitim pellant, non quæ hoſpitē obruant, potantor. Interim avium concentu & aquarum murmure ſe oblectanto. Ijs ſilentibus, Iopæ, Amphiones, Orphei, loquaces compeſcendo, aureis mulcento. Remotis menſis atque arbitris ſuos, ſuíque convivarum mores paulò liberius pati, ſeni, juveni, faceto, dicaci vel ad ineptias uſque, fas eſto. Si qua licentius poti dixerint, fecerint; ea in urbe alijs narrare, aut omnino in memoria habere, fas non eſto. Scorta, ſcurræ, paraſiti, præſtigiatores, arioli, ac ejusmodi impurum & profanum genus procul arcentor. Aleis, latrunculis, ſcrupulis, talis, ſi qui ſe oblectare maluerint; nemini tunc vitio dator, modò fiat modicè, ne fortè jacturæ dolor in gaudij, cui hic locus à majoribus dicatus eſt, ſedes mærorem induxerit. Hiſce actis, in eodem ſacello Deo item Opt. Max. gratias agunto. In urbem læti ludibundíque abeunto.

Ibidem.

Gaudentum locus hic; procul hinc diſcedite triſtes.

Villa Julia Epigraphe. Romæ.

JUlij III. Pontif. Max. auſpicio, Balduinus ejus frater hoc ſuburbanum propè Flami-

niam

niam, ab Antonio patruo Cardinale, olim animi causâ comparatum: ſylvis, hortis, vinetíſque contiguis, & quibusvis plantarum generibus numero penè infinito, à ſe auctum: novóque ac politiore cultu, nullo non loco directum atque illuſtratum, aqua virgine, & fontibus ſaluberrimis, & latebris terræ inacceſſis, non minùs ad commune omnium, quàm ad privatum comodum eductis: undiq; irriguum factū aquis ſalientibus, piſcina, aviario, atque hoc quaſi Theatro admirabili picturarum, ſtatuarum, emblematum ſplendore conſtructiſſ. templóque imprimis Deo Opt. Max. ac Divo Andreæ ab ipſo Julio Pontifice erecto, atque dicato: ſibi, Innocentio Cardinali, & Fabiano Comiti, filijs & eorum poſteris, in ampliorem & auctiorem formam redegit. Prædium autem hoc ipſum, ac quidquid uſpiam in eo ortum, cultum, ſtructum, ampliatum, ornatum, vel in præſenti eſt, vel erit impoſterum: ſive totum, ſive aliqua ex parte: cujusque modi, & quantula eacunque fuerit: præter ipſos fructus: uti nullo prorſus pretio, nullo pacto, nullo jure, cuiquam unquam alicui vendi, obligari, donari, aliove quovis modo alienari poſſit, teſtamento in perpetuum ab eodem Balduino omnibus eſt interdictum. Ne de nomine exeat familiæ ſuæ.

Piſauri in Villa Ducis.

FR. Mariæ Duci Metaurenſium à bellis redeunti, Leonora uxor animi ejus cauſſa vil-

lam exædificavit, pro ſole, pro pulvere, pro vigilijs, pro laboribus, ut militare negotium, quiete interpoſitâ, clariorem laudem fructûſq; uberiores pariat.

In porticu Villæ Chiſiæ;

QUæ tertio à Senarum urbe lapide extat (vulgo, le volte) ubi exceptus hoſpitio Paulus III. Pont. Max. Anno M. D. XLI.

Quæ te naſcentem felici ſidere quondam
Muneribus natura ſuis cumulavit, & inter
Perſpicuos leni properantes murmure rivos,
Frugiferoque ſolo, & cælo gaudere ſalubri,
Chiſia villa, dedit, facilíque aſſurgere clivo;
Maximus unde hominum Cuſtos, & maximus idem
Sacrorum Princeps PAULUS, Tyrióque verendus
Murice Alexander, primævo flore juventæ
Maturâ virtute Nepos, ſuccedere tectis
Haud renuêre tuis, Domin̄que accumbere menſæ
Servorum, cùm ſol à partu Virginis octo
Supra tercentum luſtra exegiſſet & unum
Penè annum, quarta ſeptembris luce; ruentum
Exitio cùm forte Pater ſuccurrere rerum
Anxius, ad Caroli congreſſum Cæſaris ultro
Lucam tendit iter, ſeniique oblitus & urbis:
Hæc eadem natura tibi meliore feraces
Nunc quoque proventu campos fœcundet & undas,
Gratior accipias hilares ut ſemper amicos,
Heroûmque novo læteris ſemper honore,

Ibi-

Ibidem alio in marmore.

ANno clↃ. IↃc. XXII. Magnum Etruriæ Ducem, Fratrem, Patruum, Matrem Auſtriacam, Aviam Lotharingam, ac Urbinatem Principem, eò divertiſſe animi causâ.

Heroum, ingenti qui te dignatur honore,
Nobilis hoſpitio domus, i contermina cœlo
Culmine conſpicuo, & Phœbo meliore nitentem
Adde diem faſtis, ſolidóque in marmore ſerva.
Libra bis octonis ſupereſt quæ candida luſtris,
Tres & viginti læto tulit omine ſoles,
Ex quo Farneſio generoſus ſanguine Princeps
Maximus hic Præſul Paulus requievit amicè.
Non uno poſthac Regum lætabere prolis
Acceſſu; Lotharinga decus Chriſtina vetuſtæ
Gentis, & Auſtriacis inſignis Magdala ſceptris,
Roboreúſque, Patri & patriæ ſpes unica, Ubaldus,
Mediceúmque genus, fulmen Laurentius olim
Venturum bello, & magnus, cui Tuſcia paret,
Nomine Avo ſimilis Fernandus, Carolus inde,
Matthiáſque puer, poſtquam venatibus agro
Indultum ſatis; huc tandem ſeſe atria circum
Tanta cohors recipit, non dedignata clientem;
Hoſpitis obſequium vultu complexa ſereno
Tecta ſubit, dapibúſque ſibi gaviſa paratis,
Luſtravítque ædem, & poſitis dedit otia curis.

In *Gallia extra urbem Lugdunum eſt villa (La Duchere) cujus primæ portæ è lapide ſtructæ inſcriptum eſt.*

RURE TIBI VIVAS; ALIIS, DUM VIXERIS URBI.

Item.

DEUS NOBIS HÆC OTIA FECIT.

In alia porta.

PULCHRA, NISI ABEUNDUM ESSET.

Paulò inferiùs.

INTRAVI, UT EXIREM.

Prope ſores areæ inter alia animalia depi-ctus eſt urſus; hiſce foribus inſcriptum.

Tant de peine pour bien amaſſer,
Puis mourir, & tout laiſſer.

Verſum hunc ita reddidit latinè celebris quidam Medicus.

Sollicito quod anhelo ſus collegeris ungue,
(Migrandum eſt.) aliis, quod legis, omne legis.

Januæ Conclavis:

HIC STATIO EST, ALIBI PORTUS.

Ad Vicum Vigile in Gallia.

FElicibus auſpicijs Henrici IV. Francorum & Navar. Regis invictiſſimi, pace terrâ mariq́ue partâ, Franciſcus à Bonna, Deſdiguariarum Dominus, Delphinatus Prorex, tot bellorum ſuperſtes, ſeceſſum hunc ſibi ſuiſque à fundamentis erexit; Anno ſalutis M. DC. XX, ætatis ſuæ ſexageſimo.

Deus nobis hæc otia fecit,
Major poſt otia virtus.

Villæ

Villæ Syrorum.

QVæ tibi nunc, hoſpes, hilari do gaudia vultu,
Mærebam triſti ſquallida villa ſitu;
Obſita nam rigidis horrebant compita dumis;
Deflebat palis vitis ademta ſuis;
Arida nec varios fundebat terra colores;
Fulgebat nullo culta nitore domus.
Non tulit hoc fratrum pietas animúsque Syrorum;
Ferre laboranti ſed properavit opem:
Suſtulit ac ſenium, fumoſis ædibus atrum,
Candentíque ſimul fronte nitere dedit;
Juſſit & aërias ſociari vitibus ulmos,
Ac patulis latas luxuriare comis;
Tum vernare roſis, & quadra virentibus herbis,
Quas inter dulcis leniter afflat amor,
Arboribúſque gravi curvantes pondere ramos,
Grandia, maturo tempore, poma dare.
Quod ſi, felicitæ jucunda oblivia vitæ
Dem tibi, pulchra magis floridiórque, cupis,
Unanimes, opta, fratres, mea fama decúſque,
Seriùs ut cæli templa beata petant.

Nicius Erythræus.

In Leucopetra Villâ:

HOſpes, etſi properas, ne ſis impius, prætériens hoc ædificium venerator. Hic enim Carolus V. Rom. Imperator à debellata Africa veniens, triduum in liberali Leucopetræ gremio conſumpſit, florem ſpargito: & vale. Anno M. D. XXXV.

In turri ibidem.

UT diurno luſu defeſſus Pan, Satyris Nymphiſque comitantibus, cum Muſis ſimul tutus à Prædonibus noctu quieſceret, Bernard⁹ Martyranus Patritius Conſentinus, Regni Neapolitani ſub Carolo Cæſare V. Secretarius, propugnaculum hoc erexit. An. M. D. XXXII.

In fornice Nymphæi.

BErnardus Martyranus Conſentinus Imp. Carolo Cæſ. Auguſto à conſilijs, in Regno Neapolitano Secret. qui magnis domi militiæque functus honoribus, decus vetuſtiſſimæ familiæ auxit ſua virtute & dignitate. Poſt labores honeſtos fortitérque ſuſceptos, ex opere novo Concharum Nymphæum hoc genio Pos. & otio liberali Anno M. D. XXXIV.

Villa Burgheſia, Romæ.

Villæ
Burgheſiæ Pincianæ
Cuſtos hæc edico.
Quisquis es, ſi liber
Legum compedes ne hic timeas.
Ito quò voles, carpito quæ voles,
Abito quando voles:
Exteris magis hæc parantur,
quàm hero.
In aureo ſæculo, ubi cuncta aurea
Temporum ſecuritas fecit,
Benè morato
Hoſpiti ferreas leges præfigere

Herus

Herus vetat.
Sit hic amico pro lege
Honeſta voluntas.
Verùm ſi quis dolo malo
Lubens ſciens
Aureas urbanitatis leges fregerit,
Caveat ne ſibi
Teſſeram amicitiæ ſubiratus villicus advorſum frangat.

AREOLA XXIX.

INSCRIPTIONES COENACULORUM.

Convivij Puteanici Lex.

Quisquis es, ſive ſolus, ſive cum umbra,
Audi, & obaudi.
Genius ſum loci, & heic impero.

K. I.

Pranſurus ante XI. ne venito,
Poſt XII. ne maneto.
Cœnaturus ante VII. ne venito,
Poſt IIX. ne maneto.
Prandij heic tempus unius horæ;
Et cœnæ unius.

Si quis prævorterit, ſcilicet, menſa vaciva:
Siquis remanſerit, ilicet, menſa ſublata.

K. II.

Familiarium tamen ſiquis adſis, etiam alteram
horam indulgeo:
ſed ſermoni, non prandio, aut cœnæ.
Sermo Genialis eſto, non tetricus, moroſus,
aut rixoſus,
Cum ſale, joco, riſu,
Quos Muſa & honeſtas ament.

K. III.

Saturio ne acceſſeris,
Eſurio ne receſſeris.
Menſam ſine arte vides; fruere:
Sed ſine tuburcinatione.

K. IV.

Et Liberi lepórem vides; poſce atque fruere:
Sed cum cautione.
Tres Crateras haurias:
Primam ſitis cauſâ: ſecundam ſis hilaritatis;
Tertiam ſodes Voluptatis.

K. V.

Lætus eſto: ſobrius eſto:
Bonæ mentis memor,
Angeronæ memor.

K. VI.

Siquis dicta & edicta mea ſpreverit,
Ægra mente & valetudine mulctator.

In arce Bredemberga H. Ranzovij. In cœnaculo communi:

Qui novus hic noſtris ſuccedis ſedibus hoſpes,
Eſto bonus, menſam conſulitóque boni.
Craterem de more lubens philotheſion hauri,
At litem moveas ebrietate, cave.
Pocula amicitiam faciunt, & pocula ſolvunt,
Si bibis ut valeant menſque pedéſque, ſapis.

Leges Convivales. *Romæ.*

Bono Genio, Gratiis, Hilaritatique.

QUi hæc læta propitiáque vitæ humanæ numina colant venerentúrque, ſtatíſque item ſolennibus hic ſacra faciant, ſodales, viri probi, atque elegantes duodecim eleguntor: ſingulis faſcia candida eſto, cui hoc ſymbolum aureis litteris intextum fiet, Bonus Genius Libertatis Filius.

Horum ritè electorum ſacrum collegium eſto, appellantórque Liberi Geniales His poteſtas fiet collegij ſupplendi augendíq; nec lectiſſimæ fæminæ repudiantor.

Eruditi, hilares, honeſti, faciles adſciſcuntor. Quiſquis idiota, triſtis, inurbanus, durus, procul eſto.

Cúmque indictum coactúmque ſit liberorum collegium; jocis, riſu, ſalibus, cantu, ſaltatione, feſtáque hilaritate, & honeſta libertate Sacra celebrantor.

Omnis calamitatum memoria, miſerorum

curæ, ægrorum dolores, rixæ Lapitharum, contentiones amarulentæ, dira fatalis horæ præſenſio, & cladium futurarum mala omnia, prodigiáque & portenta procul ſunto.

Unus amatoriis litibus, querelis, atque ſuſpirijs liber locus ſit. Lugere, lamentari, referre amoris incommoda, ab ingenióque ſodalium opem implorare, cuique jus eſto.

Epulæ non ferculorum copia, varietatéque, ſed obſoniorum bellariorúmq; delectu exquiſito, & civili ſemper ſumptu parantor.

Pueri Baccho, menſæque præpoſiti, in vertendo, refrigerandóque ſolo, locis ad umbram exquirendis diligentes ſunto. Mappæ candidæ, mantilia turbinatim ſcitè complicata, virentibus foliis, & floribus conſperguntór. Obſonator peritus gulæ, cocus induſtria inſignis, ſtructor expeditus, lagenarum Præfectus non inſulsè bibax, miniſtri à dapibus oculati, celeres, muti; à poculis autem auriti, honeſti & elegantes ſunto.

Argentum, ſtannum, fictilia, egregiè terſa apponuntor; calices variáque pocula, ſplendida, rorantiáque adferuntor; vina puris fontib⁹, & puteis refrigerantor. Glacies autem, & alpinæ nives, diri ſalutis hoſtes, non accerſuntor.

In diſcubitu ætati honos eſto: matronis caſtis, ſi adſint, aut elegantibus puellis, ſi quis adduxerit, juxta quem volent, diſcumbendi poteſtis eſto.

Coronati omnes, uti quisque volet, roſa, flori-

floribus, myrto, hedera, lauro, jucundiſſimè epulantor.

Moderatis poculis ſodales provocare fas eſto, certamina autem ad æquales hauſtus interdicta ſunto.

Singulo quoq; epulo ſinguli ex collegio deſcripti annulos in urnam deponunto. Pueri manu ſorte annulus unus tollatur: is cujus fuerit, ſequentis ſympoſij Princeps eſto. Ei autem, cùm placuerit, & quando voluerit, epuli ſumptum, diem, locum, apparatum indicere fas ſiet. Qui non paruerit, ut profanus è collegio excluditor.

Sodalibus jus ſit, umbram ducere, quam quisque volet, neque eam, ſive ſit morio frigidus, vel ineptus ſcurra, vel Poëta inſulſus, arcere jus eſto.

Qui ſanctis puríſque legibus contrà ierit, duplicis epuli pœna multator.

Poteſtas autem libera ſit declamandi, diſputandi de toto liberalium artium negotio, & earum præſertim litterarum, quæ uno Humanarum nomine continentur. Remotis menſis, ablegatáque extrorſum familia; ſympoſij Princeps quæſtionem ſodalium cenſuræ definiendam proponito: reſpondentes conſeſſus ordine ſubſequuntor. Inprimis de Superis loqui, & de exquiſita Chriſtianæ fidei ratione differere, potis & ſaturis nefas eſto: cùm id ad jejunos & ſobrios religioſè pertineat.

De munere verò militari, de provocatorijs

legi-

legibus ad ſingulare certamen, de ſtatu actionéque veræ nobilitatis, de officio viri elegantis, de præſcripto jure libertatis matronarum & viduarnm, de Zelotypia, amatoriiſque obſequijs certa ratione terminandis: poſtremò de præſtantia civilis cultus, & ratione domeſticæ diſciplinæ, de finibus urbanæ voluptatis, diſſerere fas eſto.

In Cœnaculo Monachorum montis Oliveti Neapoli.

ALphonſo Arragoniæ Regi juſtiſſimo, invictiſſimo, munificentiſſimo, Olivetus Ordo, ob ſingularem erga ſe beneficentiam, qui cum hic conjunctiſſ. vixit, ut regia Majeſtate depoſita, cum eis unà cibum caperet, miniſtris deinde menſarum miniſtraret, lectitarétq; F. C.

Guſtrovij in Cœnaculo adium Lubianarum.

Si dat oluſcula
Menſa minuſcula
Pace referta:
Ne pete grandia,
Lautáque prandia
Lite repleta.

Fontainebleau, in Cœnaculo la ſale des feſtins dicto.

HEnricus IV. Francorum & Navarræ Rex, bellator, victor & triumphator, bello civili

vili confecto, regno recuperato, reſtauratóq; pace domi foriſque conſtitutâ, Regiis penatibus Regali ſumptu focum exſtruxit M. DIC.

Leges Convivales in ædibus cujuſdam Canonici, Leodij.

LEx Horiana jubet tibi, vir, ſeu ſederis hoſpes;
Sive herus ad menſam, parce aperire caput.
Lex Horiana tibi, mulier ſeu ſederis hoſpes,
Sive hera, præſcribit, tollere parce femur.
Cauſa triplex: non ſunt in menſa immota movenda;
Menſa vacet faſtu, pilea labe, decet.
Exlegi ſua pæna, meri potare culullum,
Aut, ſi pæna frequens ipſa juvabit, aquæ.
Lex jubet, in menſa, Burnellia, qui datur, orbem,
Seu quadram, ſerva vir, mulierve, tibi.
Cauſa duplex: ut inepta, aut ficta modeſtia ceſſet;
Et gladiatorum ceu grege menſa vacet.
Quippe obtrudendis certatim oblædere quadris,
Convivæ digitos, mutuáque ora ſolent.
Lex Mamerana jubet, conviva vocatus adito
Maturè, & comitem ducere parce canem.
Haud etenim, tibi ſi gratus comes ille caninus,
Sic Domino, aut Domini gratus & ipſe cani.
Quin & herus menſæ, tibi ſi canis, inde relega,
Ne cui det, viſum non ſemel, ille malum.
Neu pugna conviva nimis civilis, at illa,
Aſſignabit Herus quam tibi, ſede ſede.
Quod jubet hoſpes agas, ſi non vis tollere plagas,
Lex vetus, & nota eſt. Hanc Mamerana novat.

Lex Auguſtini præſentum, aut rodere dictis
Abſentum vitam, digna ferente, vetat.
Lex, Gaudane, *tua eſt, ſe ſi quis inebriet, illi*
Poſtera lux puro pellat ut amne ſitim,
Dixerit & ſi quid, ſeu fecerit ebrius idem,
Quo læſus fuerit, ſive homo, ſive Deus:
Non modò ut amne ſitim ſibi pellat, at eroget ultrò
Eſuriem pauper pellat, & unde ſitim.

Ante cibum, potúmque Dei Benedicere dona,
Sumptáque poſt, grates dicere, dona Deo,
Simplice nos victu contentos, ſimplice cultu,
Et dare pauperibus ſi quid utrique ſuper,
Legiferûm capitis lex præcipit aurea Chriſti,
Et mundo, mundi deliciíſque mori,
Gaudanus *pater uſque monens plantátque rigátque,*
O, incrementum tu dare, Chriſte, velis.

Dominici Lampſonij.

MENSARUM.

Conſtantinopoli in Templo S. Sophiæ ſacram menſam fieri curaverat Juſtinianus Imperator: cujus in orbe hæc erat inſcriptio.

TUa de tuis tibi offerimus ſervi tui, Chriſte, Juſtinianus & Theodora. Ea tu propitius accipe Fili Dei Verbum, qui noſtri cauſa carnem aſſumpſiſti, & cruci affixus fuiſti. Ac nos in tua recta fide conſerva. Et quam nobis commi-

commiſiſti Remp. eam ad tuam gloriam auge & tuere, intercedente ſancta Deipara Virgine Maria. Baron. anno 558.

Inſcriptio Menſæ, quam Jacobus Monavius Medicus Impp. accepit à Cæſare :

IN hac menſa Divus Ferdinandus Imp. Aug. P. F. pacificus, priuſquam lethalis morbus lecto opt. & beatiſſ. Principem affligeret, multis menſibus cibum ſumpſit: Imper. verò Maximilianus II. F. Aug. perp. cùm in meditationibus ſalutaribus verſaretur, ſua manu ſententias plenas pietatis & humanitatis inſcripſit. Has poſteris ſalutares, Crato ſacratiſſimorum Imperatorum Medicus, ne hanc tabulam, qua uſos & ſuſtentatos divinos Monarchas intelligitur, tanquam vile lignum haberetur, ſtudio ac diligentiâ ſuâ conſervavit.

AREOLA XXX.

INSCRIPTIONES CELLARUM.

Celſiſſimi Principis & Archiepiſcopi Salisb. Inſcriptio Cellæ in Kaltenhauſen prope Hallam.

Salvum Te hoſpes jubet
Loci genius & hoſpitalis Deus.
Si cales aut friges pluſculum,

Hic æſtates hyemant,
Ut uno calere, & frigere poſſis calice,
Denique hanc cellam cœlum puta,
Nam nectar impluit totis cadis,
Et nemo ſolvit ſymbolam.
Tu ſalutem liba, gratus Authori,
Qui naturæ donum æſtimans
arte juvit.
Atque ut loquerentur lapides
In hanc liquidiſſimæ Echus
Facundiam excavavit
GUIDOBALDUS
Archiep. & Princeps Saliſb. ex Comit. de Thun.

In hortis ad Claros fontes Saliſb. Cellæ vinariæ inſcriptio.

HOrtum abſolutum cætera, unum calidius deſiderare, Cellæ vinariæ æſtivum frigus, audivit & adjuvit Guidobaldus Archiepiſcopus ex Comit. de Thun. Anno 1659.

Saliſburgi ad S. Petrum.

Salve Hoſpes, &
Solve, non ſymbolam, ſed
Ænigma.
Divis Hoſpitalibus Petro
Et Ruperto hæc aut
Petra aut Rupes olim ſacra
Nunc etiam pia: uno
è lapide duos fecit:
Hoc eſt,

Ad novi Monaſterij curam
Arduam & operoſam molem
Hinc exciſa, iſtac educta,
Uno è ſaxo
Poſuit duas cellas,
Illam Fratribus, iſtam hoſpiti,
Ibi piè, hic ſobriè,
Utrinque
Juſtè.
A. A.

AREOLA XXXI.
INSCRIPTIONES HIPPODROMORUM.

Hippodromi Salisburg.

Hoc age, de Trojano ovo, ſanguis nobilior,
Et dignum equeſtri ſanguine Te proba.
Ecce! etiam loco ſaxa cedunt.
Quidquid hic calcas, quantus dorſo porrigitur
Mons fuit.
Superſtat memoriæ utriuſque Parietis
vivum latus:
Pellucétque circum admiſſo lumine ſaxi rigor.
Exerce & exere vires.
Nullo in ſtadio fortius potes.
Virtuti cedunt omnia.

Demum ne ipſam molis magnitudinem
interpres vilior luxum putes.
Abſciſſam rupem per fruſta ingentia
in ædes publicas diſpenſavit
Anno Domini M. DC. LXII.
Guidobaldus Archiepiſcopus
& Princeps.

Salisburgi, in porta Equilis Celſiſſimi Principis & Archiepiſcopi:

Raitnavius Princeps hoc tanta molis Equile
Exiguo primus tempore conſtituit.
Atque ut non deſit cum largo copia cornu,
Frugibus omnigenis Horrea plena dedit.
Anno Domini M. I C. VII.

Ibidem, in ipſo Equili.

SEmper generoſos animos Equus ſignat. Quem ideò poſt firmata, formatáque nitidius cuncta, utrinque in munditiem ducto rivo, ut, quantum ſubtus lateat, oſtenderet, unâ cum fonte vivo, purâ lymphâ, & candido ſaxo, decori, & commodo una cura hoc ſtatuit loco,

Guidobaldus S. R. E. Cardinalis
Archiepiſcopus Salisb. &c. Epiſcopus
Ratisbonenſis, Anno M.DC. LXIIX.

Quidam hanc fecerat inſcriptionem,

Salve hoſpes
Quos hic ſpirantes naribus ignem vides
Bucephalos,

Aquo-

Aquoſos marmorum quos fremitus audis:
Hercules ſtatuit. *
Hic, ut ſecurius hinnirent equi, fornices columnis fatiſcentibus pendulos in caſum,
Saxo ſubſtructo firmavit:
Ut ſpirarent vivacius,
Aquas invexit vivas: unà Majeſtatem, lucem, Decorem.
Præterlabentem Rivum immiſit, & diviſit in binos flux⁹ ſubterraneos, ut utrinq; eluerent in majorem canalem, quæ nocerent, & diſplicerent oculis.
Quis Hercules?
Guidobaldus Card. & Archiepiſcopus Salisb. è Comit. de Thun.
Anno M. DC. LXVIII.
Mirare Hoſpes, & fave operi.

* *Inter Herculis labores numeratur, quòd purgârit Augiæ Regis Eleorum ſtabulum, ubi erant* 3000 *boves.*

Equilis Regij. Pariſijs.

NOn opus hîc, quod Roma fuit ſub Vate locuta,
Regibus eſſe modos, ubi equos mercantur, apertos
Inſpicere, & pariles valeant quo robore dentes:
Lupara, *qui veſtro ſubtùs ſtabulantur Equili,*
Omnes Solis equi ſunt, Martis ad arma volantes,
Quiſque ſuis Centaurus adeſt vel Cyllarus alis,
Omnes belligeros efflant è naribus ignes.
Robertus Keichenius.

Neapoli.

PEtrus Toletus Hiſpanus, Marchio Villæ Franchæ, Neapoli Prorex, novam cum hippodromo porticum novæ arci primis regendi auſpicijs addendam curavit. Caroli V. Imp. & futuror. Regum Proregúmque commoditati, urbis decori, documento demum magni animi, & in nitidiorem formam, ſplendóremque ſuum cuncta reditura pollicentis Anno M. D. XXXIII.

AREOLA XXXII.

INSCRIPTIONES OFFICINARUM MONETARIARUM.

Durtrechti Officinæ nummariæ hoc adſcriptum;

MONETA
DIVO. CAROLO. V. CÆSA;
DIT. IS. DE. MUNTE.
DES. ROM. KEYSERS. &c. &c.
ENDE. GRAEFFELICKHEYTS;
VAN. HOLLANDT.

Ponè extant hæc elogia pecuniæ.

PECUNIA EFFECTRIX MULTARUM VOLUPTATUM.

PECU-

Pecunia Vincere Speciosum non Est.
Pecunia Mater Belli.

Avenione in Officina monetaria.

Paulus V. Pont. Opt. Max. has ædes auro, argento, æri flando, feriundo ad urbis decorem erexit, ornavítque, curante Jo. Franc. â Balneo, Arch. Patr. V. Leg.
Anno ſalutis cIↄ.Iↄc.XIX.

Salisburgi in Officina nummaria.

Uno opere tria vide.
Monetariæ officinæ anguſtias luce ampliat & loco:
Vaſa è cryſtallo & gemmâ tornare, polire, cælare, inſtruit aut docet:
Sparſas inæqualiter urbis domos, & vici lacunam novâ æde implet aut ornat,
Guidobaldus Archiepiſcopus Princeps.
Anno M. DC. LXII.

AREO-

AREOLA XXXIII.

INSCRIPTIONES NOSOCOMIORUM, ET HOSPITALIUM.

Superbia Paupertatis in auguſtiſſimo Mediolanenſium Noſocomio.

Agnoſce Viator Chriſtum in Paupere,
Et has non accuſabis impenſas.
Sufficere mendicis tuguria poterant:
Chriſto hæc ipſa tanta magnificentia
Par non eſt.
Ægrorum ſuorum
Contubernalem Deum qui vellet,
Hac illum allicere ſtuduit hoſpitij Majeſtate,
Quanquam, ut traheretur,
Sufficere poterat
Domum hanc dicaſſe Mariæ.
Sequitur & Noſter Juppiter
Cœlum ſuum,
Et ubi mater præeſt,
Ibi ſemper tam bono filio
Jucunda ſtatio eſt,
Nobilium Titulus
Ex quo cœpit eſſe paupertas,
Hauſtis quos illi deponunt ſpiritibus,
Qua-

Quacumque contenta domo non eſt.
Viden' quale illa ſibi poſuerit auguſtale,
Ad cujus admirationem
Vel è parietibus tam multi inſpectores
Erumpunt?
Odioſum tamen diverſorij ſui nomen
Ne hoc quidem tanto nitore condivit.
Pudet vel marmora quod huc venerint.
Nec enim aliud
Lapidum horum omnium rubor,
Quàm terræ nobilis erubeſcentia quædam
Academia miſerorum,
Quandoquidem novam
Quotidie in frequentiam proficit;
Schola hac eguit ampliore.
Illam tamen quæcunque non concepit
fortuna;
Hæc quædam quaſi metropolis omnis pietatis
Auctorem non alium potuit habere
Quàm Principem.
Sumant à Viperarum adipe
Morbi plerique remedium;
Longè plures, Vicecomitum Anguibus
Valetudinem debent. *Aloyſius Juglaris.*

Noſocomij Gronovienſis prope Lubecam.

DEo Opt. M. honeſtæq; hominum ſocietati conſervandæ nec non ærumnoſæ pauperũ inopiæ & ſenectuti ſublevandæ, piũ præſtituri officium, hoc oppidulum atq; Noſocomiũ ſuis impenſis exſtrui curarunt Henricus Ranzovius,

&

& Chriſtina ab Halle, conjuges, domini & hæredes in Bredenberg, Drakenburg, &c.

Inſcriptio Hoſpitalis (vulgò Lazareti) S. Ludovici in Gallia.

D. O. M. S.

HEnricus IV. Franciæ & Navarræ Rex Chriſtianiſſ. domi foríſque pace altâ fruens, quam Dei virtute, & ſuâ invictâ dextrâ ſibi & regno peperit, curam ſuam in omnes Reipubl. partes maximas, minimas pariter extendens, inter tot ſtupendarum ſubſtructionum moles, quibus majeſtatem Imperij Gallici in dies amplificat, inſtaurato ptochotrophio urbis, cognito defuiſſe hactenus noſocomium, quæ res ingenti civibus incommodo ac periculo vertebat, opus novum in valetudinarij uſum à fundamentis excitavit; inque ejus fabricam memorandam in omne ævum, liberalitate tanto parem incepto, pecuniarum vim unâ donatione contulit, ædémque inſuper hanc in honorem Divi Ludovici progenitoris ſui, qui, pro Chriſti Servatoris gloriâ adversùs infideles tot bellis feliciter geſtis, in Africa demùm morbo peſtilenti mortalitatem exuit, dedicatam, ejus nomine dici voluit: documentum ſubditis, quæ jam nunc Ludovico filio exempla ſua & ſuorum majorum proponat imitanda. An. D. cIↄ.Iↄc. VIII. Regni ſui XIX.

Xeno-

Xenodochij Charitatis Monimentum.
Taurini.

Charitatis hoſpitium
Ne ſine certo hoſpitio diutius (1.) vagetur,
Auguſta Taurinorum
Æterno hoc ſiſtit lapide.
Quem primorem Chriſtiana à Francia,
Principis, & Pauperum Auguſta Parens,
Sacris fundaminibus injicit.
Indubio manſuri operis Augurio;
Quod ijsdem manibus jacitur,
Quibus felicitatis publicæ Fundamenta
Sunt jacta.
Anno M.DC.LVII.

1.) *Per multos annos, locatis ſedibus uſum fuerat.*

Emmanuel Theſaurus.

Noſocomij Romæ à latere Pontis Sixti.

SIxtus V. Pont. Max. Picenus, pauperibus piè alendis, ne pane veſtitúque careant, multo ſuo coemptas ære has ædes exſtruxit, aptavit, ampliavit, perpetuó cenſu dotavit. Anno Dom. 1586. Pontificatus II.

Hoſpitalis Bohemorum, ibidem.

CAROLUS IMPERATOR ROMAN. IV. REX BOHEMORUM, ET HORUM PROTECTOR, HOSPITALE BOHEMORUM RUINOSUM REFECIT ANNO 1357.

Hoſpi-

Hoſpitalis S. Joannis Bapt. ibidem.

SANCTO JOANNI BAPTISTÆ SAC.
MERIADUX CICADA GENUEN. LOCUM HOSPITALIS FACIUNDUM PAUPERIBUS NAUTIS RECIPIENDIS, ET NUTRIENDIS
TESTAMENTO RELIQUIT

Romæ in Hoſpitali S. Spiritûs.

INNOCENTIO III ANAGN. PONT MAX.
XENODOCHII HUIUS TOTO ORBE CELEBERR.
CUM DENARIIS DOTALIBUS FUNDATORI,
ET RELIGIONIS FRATRUM IBI INST. FÆLICISS.

Hic Innocentius III. Angelicæ monitioni parens, in honorem S. Spiritûs hoſpitale fundari, & erigi juſſit.

Neapoli.

PHILIPPO REGNANTE.

D. Joannes Zuniga prorex, ut affecti morbo cuſtodia non commodiori modò, ſed amæniori etiam loco curentur, valetudinarium, quod multi antè Proreges deſtinârant, efflagitantium aſſiduis precibus, præfectóque operi Cl. Equite Joanne Nicolao Minatulo feliciter extruxit, quo tempore Philippus Rex Catholicus, & idem Dominus noſter, devictos bello Luſitanos in ſuam deditionem redegit. Anno M. D. LXXX.

Faven-

Faventiæ, ante Hoſpitale Orphanorum.

QUOS PARENTUM PAUPERTAS, PUDORVE REPULIT, PIETAS HUJUS LOCI RECIPIT.

Romæ.

Clementi III. Pont. Max.

Quòd Xenodochium paterna charitate inviſerit, ſingulari liberalitate ſuſtentaverit, Sodalitas oportuna ejus ope conſervata poſuit. M. DC. VIII.

Ibidem.

Urbano VIII. Pont. Max.

Cœleſtis, humanæque rei diſpenſatori liberaliſſimo, quòd anno Jubilæi M. DC. XXV. apertis utriuſque munificentiæ valvis Xenodochium hoc
Ære plurimo juvit, nova ſuppellectile auxit,
Præſentiâ illuſtravit.
Sodalitas grati animi monumentum poſuit.

AREO-

AREOLA XXXIV.

INSCRIPTIONES TUMULORUM MISCELLANEÆ.

Hic jaceo
Novus Mundi Heros,
Nova Mundi Præda.
Vix naſcor,
En Morior.
Natus, & denatus.
Sum,
Immaturo funere raptus.
Jam contubernium
Inter mortuos
ago
Eheu!
Viventem tamen
Videbo
DEUM,
Utinam in gloria,
Et cum gloria.

Æterno Patri
Animam,
Terræ matri
Haſc e reddo exuvias.
Sic viſum Superis.

Pax

Pax vivis,
Requies Defunctis.

Memento monumenti
Omni momento.
Eccl. 36.
Et ſic, Viator, redactus ad nihilum,
quando homo in non hominem verſus
ſum, abſtulit enim quaſi ventus deſiderium meum.

In Monaſterio Schonaugienſi,

Omnis homo miretur, homo quid ſecerit iſte,
Hæc cujus foſſa cineres includit & oſſa,
Mas vivens paret, moriens ſed fæmina claret.
Vita ſefellit, Mórſque reſellit rem ſimulatam:
Hildegund dicta, vitæ eſt in Codice ſcripta.
Maij bis ſenis hæc eſt defuncta Calendis,

Epitaphium
Filij cujuſdam Senat. Rom. cui à Mathematico dictum, quòd patrem ſuum eſſet occiſurus.

Hic jacet filius,
Licet ſine nomine, omine tamen iniquo.
Qui ne patrem trucidaret,
Seipſum morti conſecravit.
Vitam quidem perdo:
At hanc reddo, Authori ſuo, voto meo.
Imo gigno morte meâ: dum diſſolvo,
SOLVO.
Mirum, quòd filius parentem regenerare poſſit!
Utrum vipera ſim, quæ pariendo perit,

Vel ſim phænix, qui pereundo parit:
Tu Viator collige.
Etiam, ſi placet, lacryma, ut ſanguinem redemptivum,
Quem patri propino, temperes.
Fortè exclamas:
O funeſtam obligationem!
Quæ pereundo ſervari debet,
Quid deinde?
Amor in vulnere triumphat,
Non aliam ambiens vitam,
Niſi mortem;
Pro vitâ parentis (ô egregia parentheſis!)
Vitam claudo, & ſimul
Recludo.

Epitaphium

Duorum amicorum Aſmundi & Aſviti. Aſvito repentinè mortuo conſepeliri voluit & Aſmundus vivus.

Corporibus duo, corde unus hic jacent, ambo tamen tacent. Sunt homines, & non homines.
Homines; quia diſtincta organa duorum corporum.
Non homines; quia in diverſo corpore unus homo.
Ah! implicat; niſi amor explicat.
Amici hic jacent.
Una anima in diverſo corpore. Disjunctio corporis animi conjunctionem habet.
At diverſo genere mortis;

Primum

Primum mors, alter mortem extinxit.
Quia mori non voluit, vivus ſepeliri voluit.
Ah inſanabilis amor!
Qui neque vitam, neque morbum, neque mortem curat,
Sed ſatietatem etiam per ſepulchra quærit.
Omnes humanos ſanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.

Hæc Matth. Abele.

Romæ in Templo S. Pauli.

Inter Altare S. Dionyſij, & 1. columnam

D. M.

M. Aur. Evareſto.
Benè. merenti.
Fecerunt. Va-
leria. Tre-
Pte. &. Salvianus
Filius.

Inter portam ſanctam, & 1. Col.

T. Perpern. argin. - - - - -
Et Perpernia. Omphal-------é
Sibi. liberiſque ſuis e - - - - -
Libertis. libertabúſque ſuis,
Poſteriſque eorum - - - - - - -
H. M. D. M. A.

Ibidem, in horto Monaſterij.

M. Ulpius. Aug. lib. Zoſimus. cum
Ulpia. Doride. Marita ſua
fecerunt

Sibi.&.ſuis.lib.libertabúſq;.poſteríſque eorum
& Julia. Clymene.cum. Julio. primi
Genio. Marito. Suo. &. ſuis. lib. liberta-
búſque. Poſteríſque eorum
Et. Julius Poſidonius. cum. ſuis. lib.
Si. quis. hoc. monumentum. ſoceiorum.
vendiderit. ſive donatum. fecerit. infe-
ret. ærario pr. HS. X X M. N.
In F. P. XI in agro. P. XII.

Romæ.

M. Canuleius Zoſimus vix. An XXXVIII. fecit Patronus lib. Benemerenti. Hic in vita ſua nulli maledixit, ſine voluntate Patroni nihil fecit, multum ponderis auri, àrg. pènes eum ſemper fuit, concupijt ex eo nihil unquam. Hic armorum cælatura omnes Clodianas evicit.

Ibidem.

D. D. S.

VRna brevis geminum, quamvis tenet iſta cadaver:
Attamen in cælo ſpiritus unus adeſt.
Viximus unanimes Liviúſque & Flavius: idem
Senſus, Amor, ſtudium, vita duobus erat.

Comi.

MOrborum vitia, & vitæ mala maxima fugi:
Nunc careo pœnis, pace fruor placidâ.

Ibidem.

Memoriæ.

Memoriæ.
L. Alfi L. F. O. V. F. Marcellini
VI. Vir. Aug. Patron. Collegi
Dendrophor, Comens.
In primo ætat' flore prærept.
Ælius Reſtitutus Pater
Miſerrimus, & ſibi.

Romæ.
V. An. LII.
D. M.
Ti. ClaudI Secundi.
Hic ſecum habet omnia.
Balnea. Vina. venus. corrumpunt corpora noſtra:
Sed vitam faciunt Balnea. vina. Venus.
Faro, Contuberna, fec.
Meropecaes & ſibi
Et ſuis, P. E.

Epitaphium Pelagianæ & Neſtorianæ Hæreſum extinctarum, a S. Proſpero editum.

NEſtoriana lues ſucceſſi Pelagianæ,
Quæ tamen eſt utero progenerata meo.
Infelix miſeræ genitrix & filia natæ
Prodivi ex ipſo germine, quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,
De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in ſumma armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habui.
Et conſanguineæ poſt triſtia vulnera fraudis
Aſpera conſerui prælia fine pari.

Me tamen una dedit victam ſententia leto:
Illa volens iterum ſurgere, bis cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur, mecúmq; ſepulchrum
Intrat, & inferni carceris ima ſubit:
Quo nos præcipites inſana ſuperbia merſit
Exutas bonis, & tumidas meritis.
Nam Chriſtum pietate operum & mercede volentes
Eſſe Deum, in capitis fœdere non ſtetimus:
Sperantéſque animi de libertate coronam,
Perdidimus, quam dat gratia, juſtitiam.
Qui igitur gemina miſeraris buſta ruinæ,
Ne noſtro exilio conſociare cave.
Nam ſi quæ Domini data munera ſerò fatemur,
Hæc homini credis debita, noſter eris.

Baronius An. 431.

Joannis Manardi. Ferrariæ.

HÆc brevis exuvias magni capit urna Manardi,
Nam virtus latè docta per ora volat.
Mens pia cum ſuperis Cæli colit aurea templa:
Hinc, hoſpes, vitæ ſint documenta tuæ.

JOVI OPT. MAX. *Romæ.*
Dolocheno. T. Flavius Coſmus
Juſſu Dei fecit.

MOrs vitæ contraria, & velociſſima cuncta calcat, ſuppeditat, rapit, conſumit, diſſolvit. Melliflue duos mutuo ſe ſtrictim & ardenter amantes hic extinctos conjunxit.

Evangeliſtæ Bonſenorij. Romæ.

VIve diu, quicunque potes, nos viximus olim,
Fortunámque ſuam vita ſecunda tulit.

Urbs

Urbs mihi natalem, gens Bonſenori a nomen,
Cinis quidquid habet muneris, illa dedit,
Pignora cara novem, & rarum, ſanctiſſima conjux,
Frigida preſſerunt lumina, lector ave.

Creſcentij. Romæ. obiit 29 ap. an: 998

Quiſquis ab occaſu properas huc, quiſquis ab ortu
Axe vel à gelido, ſive calente polo.
Flecte, precor, geminos carmen lecturus ocellos,
Sortis & humanæ flebilis eſto memor.
Et quod, amice, fuit tumulo qui clauditur iſto,
Nunc cinis & pulvis, quodque futurus eris.
Hei mihi non vero Creſcentius omine dictus!
Stamina dum neſſet ſors breviora ſibi.
Ungue ſed à tenero pietatis vomere ſulcos
Excoluit, mentis ſemina grata ſerens.
Hoſpitibus tectum, nudis largitus amictum,
Eſuriem dapibus ſuſtulit, amne ſitim.
Sed cùm ter denis ſubiit ſex quater ariſtis,
Quod terra eſt liquit, ſumere certus idem.
Sic tibi, ſic cunctis poſt mortem talia reddant,
Carmen in hoc tumulo quiſquis, amice, legis.

Hieronymi Raſſon. Romæ.

Urbem miſſus ad Hernicam faceſſere juſſa,
Vix urbi notum me brevis urna premit.
Raſſon Hieronymus, curſum fortuna peregit;
Sola, nec id merui, mors inimica fuit.
Hoſpes quiſquis ad hæc pergit delubra Jacobi,
Sacratam in cineres buſtáque ſpargat aquam.

Joan. de Anguire Hiſpani. Ibidem.

DAgemitus pia turba viro, lacrymáſque ſepulcro,
Cujus ab interitu ſæva ruina manet.
Heu pietas jacet, ipſa fides, probitáſque, pudórque,
Religio, gravitas, cum gravitate lepos!
Sed neque flere licet Superos; pulcherrima circum
Pars melior, terris candida fama viget.

Hieronymi Ferrarij. Ibidem.

FOrtunâ vixi, natiſque & conjuge felix,
Auctáque erat blando læta nepote domus;
Ecce ferox nimium Lacheſis mea fila reſcidit,
Flebile, delitijs inſidioſa meis.
Spes tamen una mihi melior, gaudete, reſurgam,
Et pergam ſpreto vivere ſarcophago.

Antonatij. Ibidem.

ESt Antonatij manibus dum picta tabella,
Quæ ſpreto mortis viveret arbitrio;
Invida mors dicens nihil eſt hac parte relictum,
O ſcelus! egregium ſuſtulit atra virum.

Gulielmi Kreiffiſch. Ibidem.

NUſſia me genuit, rapuit Mavortia Roma,
Bis tria cùm fuerant luſtra peracta mihi.
Et genere atque bonis animi non ultimus: aſt hæc
Contra lanigeras nil potuêre Deas.

Alexandri Junij. Romæ.

ROma peregrino magnos mandarat honores,
Quos immaturo funere mors rapuit.

Diſce meo exemplo virtuti præmia nunquam
Deêſſe, ſed & quovis tempore diſce mori.

Joannis Pavij. Ibidem.

Cum Romæ moror, hinc totum contempler ut orbẽ,
Exiguâ, ſperans maxima, condor humo.
Hoc tamen exemplum nolim te terreat, hoſpes,
Eſt aliquid ſtudio vel periiſſe boni.
Nec neſcire nefas, quem diſcere fata volentem
Impediunt, tandem jure ſcientis habet.

Franciſci Puccij Florentini. Romæ.

Inveni portum, ſpes & fortuna valete,
Nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.

Ibidem.

Nil vixiſſe juvat quenquam poſt fata, ſed illud
Et ſtabile & gratum eſt, vivere cum ſuperis.

Ibidem.

D. M.

Vi vite qui legitis, cœleſtia quærite, noſtra hæc
In cineres tandem gloria tota redit.

Romæ.

D. O. M.

ANtonio Sabello, qui in omnibus fortunæ eventibus totus ex ſe pendens, aureâque mediocritate contentus, ſuos non minus virtutum ſuarum exemplo, quàm beneficijs honeſtavit: Steph. & Raph. FR. mæſtiſſ. PP. B. an. 71. M. 5. D. 7. O. 2. Julij. 1572.

Ad portam S. Angeli. Ibid.

QUi colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Atyn,
Dum vacat, & tacitâ Dindyma voce ſilent:
Flete meos cineres, non eſt alienus in illis
Hector, & hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.
Ille ego qui magni parvus cognominis heres,
Corpore in exiguo res numeroſa fui.
Flectere doctus equos, nitidâ certare palæſtrâ,
Ferre jocos, aſtu fallere, noſſe fidem.
At tibi dent Superi quantum Domit illa mereris,
Quæ facis, exiguâ ne jaceamus humo.

Antonij Caſtalij. Romæ.

Grata cum Deo viventi mors.

QUam vivens potui nunquam guſtare quietem,
Mortuus iu ſolida jam ſtatione fruor.
Paſſio, cura, labor, mors tandem & pugna receſſit,
Corporea, & ſolùm mens quod avebat, habet.

Bariſelli. Romæ.

HIc jaceo, qui dum Bariſellatus almæ urbis fungor officio, à cruenta morte abripior. Noli mihi mortuo maledicere, nequeo in tenebris reſpondere. Vixi annos L. Marſiola de Capriolis viro, Fauſtina & Virgilia patri opt. multis cum lachrymis pos.

Ibidem.

LUDOVICO LUCENÆ

Hiſpano, qui præter cæteras virtutes, quibus longè alijs excelluit, hanc maximè coluit,

luit, ut omnibus aſſiduè benefaceret, & nemineni ob id ſibi devinctum eſſe vellet.

Romæ,

ANTONIO DE CERVATTIS.

Cæſar- Auguſtano R. Innocentij Cardinalis Cibo elegantiſſimo Architriclino, ingenio, induſtria & fide ad honeſtum gradum evecto, multis jam laboribus fatigato, qui dum quietiorem vitam quærit, immatura morte præventus, quam vivens non invenit, hîc requiem ducit. Vix. ann. XL. Obijt M. D. XXI.

Sub trunco Marcido & Florido ſimul. Ibid.

Aſpice, quàm ſubitò marcet quod floruit antè!
Aſpice, quàm ſubitò, quòd fuit antè, cadit!

Ibidem in Templo Germanorum.

Scis remeare datum nulli poſt juſta: daretur
Si mihi, ſim nullus, ſi remeare velim.
Ætates omnes defunctum ſera vocavit
Mors: reliquum vitæ quid niſi pœna fuit?
Sanctè ſi muſas colui, fortaſſè ſepultus,
Vita inter vivos nunc meliore fruor.

Neapoli.

D. O. M.

LACT. LUCATIUS CAUSID.

Spiritum DEO,	Probitatem famæ,
Prolem naturæ,	Nefas Herebo,
Labores ſorti,	Oſſaque ſepulcro.

Sibi vivens ac poſteris D.

Ibid. ad S. Laurentij.

Hoſpes quid ſim, vides. Quid fuerim nôſti.
Futurus ipſe quid ſis, cogita.
Inferri ſancto manes quia turpe putavi,
Idcirco ante fores conditus hîc jaceo.

Erricus Rud. Eq. Neap. vivus ſibi poſuit, ne de ſepulcro ſollicitus heres eſſet, néve vivorum negligentia obeſſet mortuo.

Carli Morimini, Neapoli.

FUi, non ſum. Eſtis, non eritis. Nemo immortalis. Somno & ſecuritati æternæ. Carolo Morimini Patri opt. Trojanus & Henricus F. virtutis & amoris cauſſa.

Andreæ Alexij. Ibid.

QVæ miſer impoſui lugubria ſaxa ſepulcro,
Mi pater, innumeris accipe pro meritis.
Quòd ſi marmoream licuiſſet ſumere formam,
Te natus tegeret non alio lapide.
Inciſæque notæ legerentur; gratus Alexis
Reddidit oſſa patri, fitque patri tumulus.

Andreæ Simonis fil. Alexio, Antonius Patri pijſſimo, qui nemini unquam injurius, prodeſſe ſemper ſtuduit. Vix. ann. LXXV. perpetua cum valetudine.

Neapoli.

Onuſtus ævo Janus hic Aniſius
Quærens mèlius iter, reliquit ſarcinam:
Qua prægravato nulla conceſſa eſt quies.
Tum ſi qua fulſit cum Camænis hæc ſtetit,
Quæ mox faceſſivere plus negotij. H. M.

H. M. H. N. S.
Hoc de ſuo ſumpſit. Sacrum eſt. Ne tangito.

Ibidem.

SIſte hoſpes: quàm incertæ hominum ſedes? Florentia ortum dedit: Parthenope exſtinctum fovet. Mercaturam exercui. Hei mihi; non opes, non pietas fatum placavere. Conſtantia amantiſſima conjuge, & Ferdinando nato unico impub. ſuperſtitibus. Obijt an. ſal. 1490. Franciſco Naccio Florent. mercatori Ferdinandus F. patri pientiſſ. vix. an. 52. m. 4. d. 6.

Neapoli.

BLaſius Marſicanus virtutem in infirmitate perficiens, vitam lubens cum morte commutavit: corpus hêic quieſcere tandem voluit: donec illud incorruptibile, & non amplius infirmum induerit.

Ibidem.

ECce ſuperbientis naturæ, qualis ſit mox futurus caſus. Quiſquis me nunc calcas vivus; cogita, ſi ſapis, idem te mox futurum.

Venetijs.

NIcolaus Craſſus forum primùm, navigationem deinde ſecutus, ab adverſa fortuna fortunis omnibus ſpoliatus, ad forum iterum reverſus, hunc poſtremò locum laborum omnium & miſeriarum quietem ſibi & poſt. P. M. D. LXIII.

Cremonæ in Eccleſia S. Angeli.

Hic pietas in patriam & pauperes prompta
Monumento eſt vobis, Poſteri;
Ubi jaceo
Antonius Laiſſitatus,
Nulli unquam noxius, Deo proximus.
Vale.

Conradini ultimi Suevorum Ducis, juſſu
Caroli Andegavenſis, decollati.

NEAPOLI.

Aſturis ungue Leo pullum rapiens Aquilinum;
Hic deplumavit, acephalùmque dedit.

Patavij.

D. M.

Mors mortis, morti mortem ſi morte dediſſet,
Hic foret in terris, aut integer aſtra petiſſet;
Sed quia diſſolvi fuerat ſic juncta neceſſe,
Oſſa tenet ſaxum, proprio mens gaudet in eſſe.

V. F.

Obijt anno nati Chriſti 1309. ſeptima die intrante Martio.

Senis.

Deum maximum & poſteros offendi.
Utriſque debeo; neuter mihi.

Ibidem.

Hoc hoſpes potes æſtimare ſaxo,
Humani nihil eſſe non caducum.

Ibidem.

Ibidem.

NOn ita multum curandum eſt eis, qui neceſſariò morituri ſunt, quid accidat ut moriantur: ſed moriendo quò ire cogantur. Chriſtophorus Franciſconius, hoc ſibi, & poſteris dicavit monimentum.

Brixiæ, in Cathedrali.

VIxi, & ſecurus mei poſſeſſor fui, quæ dederat mihi Deus, in curſu peregi, pietate Chriſti optimi meliores ſedes ſpero. Valete Brixienſes mei; cœlum ſpectate, Deo parete. Nam quàm fragilis & caduca ſit vita mortalium, meo exemplo diſcite. M. CCCC. LXIIII.

Neapoli.

Hæc mihi lapidea memoria poſita eſt,
Imò tibi,
Qui hæc legis. Quisquis es,
Vigila dum vigilas, & in rem tuam maturè
propera.
Horas ſcit nemo. Vale.

Silvij Palladij, quod Caieta legitur.

Fui, non ſum. eſtis, non eritis;
Silvius Palladius,
Ut moriens viveret,
Vixit ut moriturus.

Lucæ, in S. Salvatore.

FILIUS PATRI.

ACcipe care pater, quæ natus munera tradit,
Munera, ſi cineri ſunt benè grata tuo. Tu

Tu mihi das lucem vitæ, do mortis honores.
Heu, heu, quàm diſpar gratia noſtra tuæ eſt?

Stephani Spadæ. Ibid.

VIvens & moriturus, Stephanus Spada quondam Gerard. civis Lucens. Filius, hunc tumulum ſibi hæredibúsque condidit. M.D.XI.

Lucæ, in æde ſervorum.

JANO GRILLO
Patricio Genuenſi Patri Opt. ac B. M.
Lucas filius poſ.

Qui legis, an cenſes Janum periiſſe bifrontem?
Qui ventura videt, lapsáque, non moritur.

Puteolis,

EPITAPH. GIGANTUM.

HUc quicunq; venis ſtupefactus ad oſſa Gigantum,
Diſce cur Hetruſco ſint tumulata ſolo.
Tempore quo domitis jam victor agebat Iberis
Alcides captum longa per arva pecus;
Colle Dicæarcho claváque arcúque Typhones
Expulit, & ceſſit noxia turba Deo.
Hydruntum petiit pars, & pars altera Tuſcos,
Interiit victus terror uterque loco.
Hinc bona poſteritas immania corpora ſervat,
Et tales mundo teſtificatur avos.

Anonymi.

Quisquis es, lector, eſt quod ex
te quæram.

No-

Noſtin' quis hoc arcto ſubterraneo carcere habitet? Ego, Putredinis filius, & frater vermium. Hæc ſtirps mea: Nomen meum ne quære, evanuit cum vita, quam poſt lacrymas & cunas in libris conſumpſi, quos penè ſimul cum vita clauſi. Jam etſi vivere, non deſij tamen vovere. Ah! hoſpes, quàm vellem plus virtuti, & minùs me permiſiſſem vitijs: quàm cuperem, ſæpius ante mortem, fuiſſem mortuus affectu! Nunc iſta mihi nonniſi optare, tibi etiam præſtare licet. Quisquis es (nam te non video in tenebris) dum potes, tuam ante mortem maturè morere. Hòc vita tua erit probatior, quò in illâ iſta crebrior. Vale, lector, uſque dum cœli canat claſſicum, ad quod ut lætus reviviſcam, tu jam precare. Anno à pariente Virgine 1617.

Incerti.

Quisquis Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ ſaléſque Nili,
Ars & gratia, luſus & voluptas,
Romani decus & dolor Theatri,
Atque omnis Veneris Cupidinúſque,
Hoc ſunt condita quo Paris ſepulcro.

Martial. lib. 11.

In agro Tuſculano.

D. M. Sacr.
Phœbo. Liberto. optumo
M. Gellius. Maximus.

Hic ſitus eſt quondam Gelli pars maxima, Phœbus,
Adfectu o nes poſſidet iſte lapis.
Vix conſummavit ſeptem quinquennia luſtri,
Oſcula ferventem nec tenuêre animam.
Quod ſi mutari potuiſſent fila ſororum,
Gauderet condi Maximus hoc tumulo.

Incertæ poſitionis.

N*Aſcimur in lacrymis, lacrymis quoque vita madeſcit,*
Et vitam rurſus liquimus in lacrymis.
O multas hominum lacrymas! abſtergat at omnes
Omnibus electis ipſe Deus lacrymas.

Cujusdam prædivitis.

A*Reas ſuas qui jactitare conſuevit,*
Tot aureis argenteiſque diſſertas,
Ut vel decem æquarent onus Camelorum:
Nullâ tamen quivit pecuniâ vitam
Redimere, quin ſuccumberet truci letho.
Tam firma nempe lex ſtatuta fatorum eſt,
Ut nemo non cymbam Charontis ingreſſus
Atrâ palude navigare cogatur,
Et horridi ſubire regiam Ditis.
Quis ergò nummis aut pecuniis fretus,
Quis ampliore patrimonio turgens
Vitam ſibi promittere audeat longam?

Nicolai Regij.

L*Anguida me rapuit ſebris mea fata dolentem,*
Non quòd acerba forent, licet immatura, ſed inter
Prælia magnanimum ſine vulnere obire pudebat.

Huber-

Huberi Fortij Mercatoris.

Fors, ſors, mors, forti, te: m miſcentur in unum,
Fors tibi læta fuit, ſors tua honeſta fuit.
Immatura tuæ ſecuit mors ſtamina vitæ,
Hei mihi! te forti fortior illa fuit.

Tolentini.

Ut vivis, vixi: verùm morieris, & omnes,
Qui ſum, vos eritis pulvis & umbra, ſolum.
Qui ſapit, & qui non, qui ſervit, & imperat, æquâ
Et miſer & felix conditione cadunt.

Anonymi. Viennæ Auſtriæ.

Accipite ô animæ fortes, monimenta doloris
Mixta piis lacrymis hæc pia vota, mei.
O mea fata darent vobiscum vivere! vita
Invita, haud vita eſt, cui ſua vita deeſt.

Mandevilli. Leodij.

Hoc jacet in tumulo, cui totus Patria vivo
Orbis erat, totum quem peragraſſe ferunt;
Anglus equéſque fuit, nunc ille Britannus Ulyſſes
Dicatur, Graio clarus Ulyſſe magis.
Moribus, ingenio, candore, & ſanguine clarus,
Et veræ cultor relligionis erat.
Nomen ſi quæras, eſt Mandevil, Indus, Arábsque
Sat notum dicet finibus eſſe ſuis.

Anonymi.

Non ego cultus eram formoſis moribus: ullæ
Nec mihi divitiæ, nec bona forma fuit.

Nec muſis placui: quare, non dicere poſſum:
Nec tibi formoſus pulcher Apollo fui.
Neſcio quid veniens in me mors viderit atra,
Ut rapido ſecum iuſſerit ire pede.
Sed necis hæc lex eſt, hæc æqua & iniqua poteſtas:
Præteriens æquâ pulſat ubique manu.
Communemque viam nos ibimus, ibitis, ibunt:
Hic, is & ille: puer, fœmina, virgo, ſenex.
Sic agitur: verùm felix, ſuper omnia felix,
Migrandi placidè cui brevis hora datur.

P. A. Canonherius.

Duorum Amicorum.

Quos habuit quondam viventeis una voluntas,
Nunc vitâ functos urna habet una duos.

Nic. Borbonius.

Tridenti.

D. O. M. S.

Siſte gradum, & tumulo flores inſperge, viator,
Fauſtáque ter cineri verba precare ſacro.
Tridentum Grudijs à Cæſare miſſus Athenis,
Hic procul à patria conditus Haſſelius.
Ah fera mors! reducem potiùs ſtraviſſe decebat,
Aut prius, Alpinus quàm peteretur apex.

Diem, & locum, & natalem ſcimus:
fatalem neſcimus.

Senis, in æde ſumma B. Virg.

Ioannes Ugurgerius decreto publico hêic ſitus eſt. Deceſſit montis aperti clade an. ſal. 1260. Is adeò auri abundans fuiſſe fertur, ut neceſſi-

tatis

tatis tempore ultrò reipubl. duos currus auro refertos obtulerit, tantundem, aut plus etiam ſibi in ædibus reſervans. Ob id etiam ædes in foro reliquis omnibus prominentiores ædificare conceſſum eſt illi. Item, ut primus civium in ſummo hoc templo ſepeliretur.

Ibidem.

LActantius Lucarius Cauſid. Seneuſis, Spiritum DEO, prolem naturæ, labores forti, probitatem famæ, nefas Erebo, oſsáque ſepulcro, ſibi vivens ac poſteris D. an. Sal. 1558.

Florentiæ.

HIERONIMI MIRANDÆ.

MErcator pietate, fide, cultúque Deorum,
Nec minùs inſignis nobilitate fui.
Humanis igitur ſpoliis Miranda relictis,
Contemplor Superûm Numina ſacra Deûm.

Hieronymus Miranda Franc. F. Hiſpan. vixit annos 35. Obijt M. D. 61. 5. Idus Febr.

Ibidem.

D. O. M. S.

ALbertus jacet hîc Leo: leonem
Quem Florentia jure nuncupavit:
Quòd Princeps fuit eruditiorum,
Prineeps ut leo ſolus eſt ferarum.

Bononiæ.

WENCESLAI BORGARDI.

INcomparabile, ô Viator, exemplum conſtantiæ atque continentiæ ſancta integritate],

& inclyta fide illuſtre, bonarum & artium, cippus en aſpice ut parvus tegit. Quid hoc quæris? Wenceslaus Borgardus Olmonte ortus (Moraviæ ea urbs eſt, Julium montem vocant Latini) is unicus patri, nuper Bononiæ unico unicè ſalutem optans adferre amico, peſte mortuus occumbit. Plura iſte non capit lapis. Vale igitur, atque his pia oſſibus dic verba, ſi es pius. Vixit annos 28. M. 10. Obijt 1517.

Romæ in domo Marij Delfini.

D. M.

L. Bojonius Gentilis vivus fecit ſibi, & Libertis Libertabúſque, poſterísque eorum. Hoc monumentum ſive locum, ſi quis vendere vel donare voluerit, inferet Virginibus Veſtalibus HS XX. N. Avi ærario Populi Romani. In fronte Ped. VII. In Argo ped. XIV.

Inſcriptio ſepulchri innominati.

Hoſpes, te paſſim vocalia ſaxa morantur:
Adſta, ſiſte gradum, paucula verba lege.
Non te ego ſic moror: bene propera, nec inania quæras;
Non eſt ſcire tuum, quis, quid, ubi fuerim.
Tecum habita, cœlum penetra; ſat noſſe ſepulchrum.
Hinc fuge, mors inſtat: dum legis, illa venit.

Philomathi Muſæ Juve.

Sepulchralis InſcriptioRhythmica ſtylo ſæculi decimi & circiter.

Siſte meis verbis: hoſpes quid vane ſuperbis?
Ecce tui finis te monet iſte cinis.

Felix

Felix quavis ſorte obit omni gloria morte:
Formam & opes ſumus, ſtemmata tollit humus.
Sola duo hæc manes tantùm comitantur inanes,
Et mala vita recens, & probitate decens.
Hiſce Deus ſirenam regno, vel carcere pœnam,
Dat geminâ, Ite rei, voce, venite mei.
Hæc ultra immundi ſunt cætera ſomnia mundi:
Elige an in cœlis, an procul eſſe velis.
Momentum æternùm vel ſidera, dat vel avernum:
Seu miſer igne peris, ſive beatus eris.
Nil medium cunctis eſt vitæ munere functis:
Ergo utriuſque ſori dogmate diſce mori.

Philomathi Muſæ Juveniles.

Inſcriptio ſepulchri Rhythmica ex antiquo.

CUra dapum præſes, ſomnoque ignavia deſes,
Livor ſe exurens, & ſubitò ira furens,
Elati mores, fucatæ carnis amores,
Quæque augunt inopes ſemper hiantis opes,
Hic periêre. Videt mors, atque edentula ridet,
Dum malè cæſa metit, quidquid avara petit,
Si vis, hanc hoſpes prævertere, reſurgere ſoſpes:
Quod tua non manus, hoc improba tollit anus.
Hydræ ſeptenos dextra hoſtes ſanguine plenos
Ergò prius reſecet, quàm Libitina necet.
Sic vives cœlo, feriet nec te invida telo;
Devictiſque feris, æthere victor eris.
Herculis hæ laudes, vitiorum evertere fraudes.
Si ſequeris, malé non hæc tibi dicta. Vale.

Philom.

Alia inſcriptio ſepulchralis.

DIſce mori, quicunque leges hæc marmore noſtro
Scripta: velis animo verba notare tuo.
Una ſalus ſervire Deo, ſunt cætera fraudes;
Fac ea quæ moriens facta fuiſſe voles.
Momento æternum pendet: Stat quà cadit arbor;
Ergò diſce, precor, vivere, diſce mori.

Philomath.

Anonymi.

MOrtuus hic quisnã? fallor; nam qui bene vixit,
Is nunquam mortis ſubiacet imperio.

Aliud.

QUis, qualisve ſiem, vivamne an funere merſus,
Noli viator quærere.
Nam ſi illud verum eſt. vivit poſt funera virtus;
Mea quoque vivit, & viget.

Novocomenſium Civium, quos fœda lues
anni 1629. *peremit.*

Tumulus.

Heu quot unus hic tumulus domos capit!
Miracula mortis hæc ſunt,
Ampla quæque
Odioſam in Epitomen minuentis.
De ingenti Novocomenſium colonia,
Quam fœda lues abduxit è mundo,
Hæc ſolùm unire licuit Analecta.
Ubi tam multi ſuffragia poſtulant,
Avarum, Viator, te nolo,

Juſtus

Juſtus non es, ſi negas omnibus,
Quod vel ſingulis debuiſti.

Aloyſius Juglaris.

Murathi in Helvetia.

D. O. M.

CAroli inclyti & fortiſſimi Ducis Burgundiæ exercitus Murathum obſidens, ab Helvetijs cæſus hoc ſui monumentum reliquit. Anno 1476.

In Cænobio Cungsfelden.

Diß iſt die Abcontrafeitung Hertzog Lüpolts von Oeſterreich / der zu Sempach mit diſer ſeiner Ritterſchafft / Adel vnd Råhten erſchlagen iſt worden/vf dem ſeinen / in dem ſeinen / vnd vmb das ſeine/ vf S. Cyrillen Tag im dreyzehenhundert vnd 80. Jahr.

Leovardiæ in æde S. Viti.

QVod tegit hoc marmor; nil nunc niſi corporis oſſa:
Hoc erit extremo, quod fuit antè, die.

Ibidem.

MEnno ſtudens claudus jacet hac ſub mole ſepultus,
Spiritus atherea ſede beatus ovat.

Ibidem.

QVid morum probitas, primóque in flore juventa?
Quid facile ingenium, ſcriptáq; metra juvant?
Hunc etiam ante diem feralis Parca petivit,
Ac immaturis extulit exequijs.

Mors æquo pede cuncta premit; mens ſola perennat,
Atque habet in terris poſthuma fama locum.

Ibidem.

PEtrus marmoreâ jacet hac ſub mole Tyara,
Parcere cui fati non voluêre vices.
Maluit in vita privato vivere cenſu,
Quàm faſtum mundi divitiáſque ſequi.
Corpus habet terram, ſibi mentem ſumpſit Olympus,
Quæ dabit extremus ſurgere poſſe dies.

Ibidem.

JUlius à Beel, cauſas qui Cæſaris olim,
Qui quoque curavit Regia jura diu,
Et tandem inde tribus prudens in munere tanto,
Nam populo ſemper charus & æquus erat,
Hoc tegitur ſaxo, ſed corpore: ſpiritus autem
Conſcendit patriam poſt pia facta ſuam.

Ibidem.

YVo luſtra videns vitæ quindena Joannes,
Hic ſua funereo tradidit oſſa rogo.
Summus erat ſacra vivens hâc paſtor in æde,
Nunc agit in ſupera ſpiritus æde ſua.

Ibidem.

VIve memor lethi cinis, umbra & mortis imago,
Es quod eram, fies quod ſum; nunc fide juventæ.
Alpha mihi ſit principium, ſit Oméga finis.

Græcij

Græcij in Styria, apud PP. Minoritas in Templo à parte dextra ſub cathedra.
M. DC. XXXIII.

AUreageſtabat de Pomis vellera Petrus,
Atque Palatinus floruit orbe Comes.
Cæſaris Auguſti, vulgíque ſavore beatus;
Hoc virtus voluit clara ſedere loco.
Facundus, ſapiens, fortunatiſſimus Heros,
Qui murus miſeris civibus alter erat.
Non talem pinxit divinus Pictor Apelles,
Non Phidias ſculpſit tale peritus opus,
Melleus Hiſtoricus, Ptolomæus, docta Poëſis
Non poſſunt vitâ nunc meliore frui.
Conſtans, Magnanimus, mirâ pietate ſacratus
Pictus erat, Chriſti nunc ope major erit.
Nomen erat Pomis, verſo nunc omine ad inſtar
Maturi pomi, ſic cecidêre genæ.

Apud eosdem PP. Minor. in medio templi ad portam.

NOn metuas mortem, quæris quicunque quietem;
Eſt ſomnus felix, éſtque precata quies,
Hæc requies mea, hìc habitabo
Dominicus Wertl. M. DC. LVIII.

Græcij in Styria, apud PP. Minoritas in medio Templi.

Siſte, ne ultrà.
Et nova ſi quæris?
Sunt, Morieris. At inquis;
Sint Nova.

Cré-

Non tantùm nova, Crede noviſſima ſunt.

M. DC. LI.

Ibidem apud PP. Dominicanos in Cœmeterij introitu penes portam à ſiniſtris Epitaphium D. Valerij Schörkl Ferd. II. Archid. Auſtriæ, Aulæ, nec non Provinciæ Styriæ Pharmacopolæ. M. DC. XVIII.

LAzarus è tumulo (mirum) jam putre cadaver
Vivifica Chriſti voce jubente redit.
Sic ego ſpem foveo vitæ, licet oſſa ſolutus;
Cur ſpero? Chriſti mors rediviva facit.
Si caput æthereas, caput extulit illud ad auras;
Cur premat æternus conſcia membra ſopor?
Membrum Chriſte tuâ ſum Morte à morte redemptum
Hac quoque ſim vitæ portio viva tuæ.

Hiſpali, ad Prædicatores.

In Sacello S. Thomæ Aquinatis.

Pietati, & Poſteritati.
Joannes Swertius Franc. P.
Belga Antverpienſis,
Honeſti animi candore,
Probitatis inſigni cum laude
Apud ſuos vixit, exteróſque:
Sed apud hos, & in hac urbe,
Immaturum rapuit fatum,
Anno Chriſtiano cIↄ. IↄcIV. Id. Octobr.
Ætatis XXX. Menſ. X.
Et ſacri loci commune hoc conditorium
Ut primum capit,

Ita plures capiet.
Miſerator DEUS miſerere.

Lubecæ in S. Maria.

QUi hanc procul tabulam, Viator, aſpicis,
Quarunc galeam, & clypeum, noſtra inſignia,
Aut geſta geſtis ſcire? En cranium hoc oſſaque,
Hæc galea & hic clypeus, notant inſignia hæc
Nos univerſos unius eſſe ſtemmatis. Vis geſta?
Peccavi ego, ſimul peccârunt cæteri.
Hinc par ad unum omnes tulimus ſtipendium.

Auguſtæ, ad Prædicatores.

HOmo ortus tui rationem, ac termini, maximè te.um meditare. In Deo ſit inprimis fixa ſpes omníſque cogitatio. Cùm enim certa ſit mors, hora incerta, neque cognita ulli; haud curæ minori ſobrio & vigilanti vitæ æternæ tam jactura, quàm lucrum eſſe debet. Joannes & Michaël à Stetten hæredibus ac poſteris ſuis H. M. F. C.

Brugis.

SIſte gradum, heus Viator, & quid mundus eſt,
Anai. Theatrum, in quo peragitur ſabula,
Perſona ubi nunc iſta, nunc eſt altera.
Abi. Joannes Viſcher hoc dixi. Vale.

Duyſtij Delfenſis.

HUnc tumulum gnati charo poſuêre parenti,
Pro patrijs curis, pro dulci munere lucis,
Lugubreíſque notas triſti inſcripsêre ſepulchro.
Hoc tumulo Henricus ſervat ſua Duyſtius oſſa,

Illum

Illum flent quicunque colunt juſtúmque piúmque,
Delfica præcipuè tellus, primordia vitæ
Quæ dedit, officiúmque experta eſt cujus abundè.
Sed longè ante alios illum deplorat egena
Turba hominum, illius nutriti largiter ære.
Viventûm namque is juxta vitaque ſequentum
Proſpiciens hominum, quos indiga fata morantur,
Corpora multa ſuis opibus per ſæcula pavit.
Illum igitur Rex Cœlicolûm, pro talibus actis,
Felicem vocet ad nitidi templa ardua cœli:
Pax ubi læta habitat nullis obnoxia curis.

Joan. Secundus.

Anonymi.

CUm lacrumis natus, lacrumans extinguor, & omnis
Penè mihi lacrumis vita peracta fuit.
O genus humanum lacrumabile, triſte, caducum,
Quod vivens miſerum poſt obitum cinis eſt.

Aliud.

Chare Viator, abi in rem tuam,
Et non plora pro me,
Nam è morte vita.

Incerti.

TU quod es, hoſpes, eram, nunc me vita exuit, atque hic
Obruit exuvias mors inimica meas.
Sed quia tu per quod ſum poſt funera, quæ vis
ipſe tibi fieri, quæſo precare mihi.

Ano-

Anonymi.

Sic mors ipſa, dum venerit,
Vincitur.
Si priusquam venerit,
Semper timeatur.
Ergò qui ſe quotidie recordatur
moriturum,
Contemnit præſentia,
Et ad futura feſtinat.
Diſce mori moritura caro, moriare priuſquã.

Franciſci Momoranti.

Cui nil in votis potiùs quàm Francia, quàm res
Francorum, quàm lex Franca ſalúſque fuit;
Hoc Franciſce jaces, heu! verè Francice, ſaxo;
Quid ſi etiam tecum Francia tota jacet?

Juliani Wandræi Montenſis.

Jam quod es, ante fui, jam ſum cinis, umbra, minúſq;.
Tu quod es, & quod ego, ſimul omnia ſubjice puncto.
Omnia prætereunt, nos ivimus, itis & ibunt.

Cujusdam Regis Galliæ.

Riſi, ploro: fui, non ſum: ſtudui, requieſco:
Luſi, non ludo: cecini, nunc mutio: pavi
Corpus, alo vermes: vigilavi, dormio: dixi
Salve, dicóque vale: Rapui, rapior: ſuperavi,
Vincor: certavi, pace utor: Jure ego vixi,
Jure etiam morior: non obſto, obſtare nequirem.
Terra fui quondam, rurſus ſum terra: nihil ſum,
Terra caduca vale, vermes ſalvete, recumbo.

Bru-

Bruxellis.

D. O. M. S.

MOrtalis es, mortalitatis ſis memor,
Amice noſter, ſi ſapis.
Quid vita noſtra? bulla, ventus, ſomnium,
Omníque inani inanior.
Putes vigere? labitur. Manere? abit.
Apponere annos? detrahit.
Fallax, Fugáxque tota. Quî ſcis hæc legens
Victurus an ſis craſtinum?
Nulli hora certa ſtat, at certo gradu
Mors, ſalce ſternens omnia.
Vis non timere tam rapacem atque horridam?
Mori ante mortem ſit labor.

Hoc monumentum Petrus Pantinus mortalitatis memor ipſe ſibi vivus poſ. obijt XXV. Decembr. cIɔ. IɔcXI.

Pariſijs.

D. O. M.

Nicolaus Faber,
Peccator non unus ex multis
Hic jaceo.
Quid de me dici verius,
Aut à me utilius non video.
Agnoſco, Bone JESU, Tu ignoſce.
Ad hoc enim natus es, ad hoc paſſus,
Ad hoc pro nobis tremuiſti,
Ut per te ſecuri eſſemus.
Vixit annos LXVIII. M. IV. D. I.

Devixit

Devixit Pr. N. Nov. An.
cIↃ. IↃC. XII.

Lud. Pincieri Noctambuli.

SI nocturna quies, quæ ſenſus vinxerat, unà
Brachia vinxiſſet cruráque feſſa mihi,
Non me deciduum celſæ per aperta feneſtræ
Mors in ſubjectam præcipitâſſet humum.
Heu nimis irrequieta quies, quæ ſenſibus altum
Torporem inducis, membra agis, acta necas!
In tenebris cecidi, ſed clarâ luce reſurgam;
Pro falsâ oblata eſt nunc mihi vera quies.

Salisburgi ad S. Rochum extra urbem.

Optat pro miſeris miſeram contemnere vitam,
Poſſit ut æternam conciliare ſibi.
Cur Superos nunc ſolus adis, ſociúmque relinquis,
Ignoras ſocium méque fuiſſe tuum?
Aſtra per immenſos quæris tibi, Petre, receſſus,
Me amplius heu ſocium non ſinis eſſe tuum.

P.F.Petrus Carthacenſis Capuccinus Sacerdos, peſtiferis inſerviens peſte correptus obijt 14. Martij 1650.

Salisburgi in Eccleſia Cathedrali.

Non
plus ultra.
Ad has Mortis columnas finito
Vitæ curſu quieſcit
POLYCARPUS
Ex S. R. I. Comit. de Khüenburg
Epiſcopus & Princeps Gurcenſis, necnon

Hujus Metropoliticæ Eccleſiæ
Præpoſitus & Archipresbyter,
Prudentiâ in gubernando, Juſtitiâ in admi-
niſtrando, Induſtriâ in laborando,
Inſignis Eccleſiæ ſplendor, Decus Familiæ,
Exemplar virtutum.
Maturè mortalem vitam finivit,
Ut citò æternam vivere inciperet,
Orto ſole mundo occidit, ut Deo oriretur,
Die lunæ mortalitati decrevit, ut æternitati
plenè creſceret,
Anima pignus morti relinquens
Ultra columnas diſceſſit
Idibus Julij
Anno Chriſti M. DC. LXXV.
Ætatis XLII. Epiſcop. & Præpoſ. III.
cujus felicem reditum ad diem noviſſimum
corpus excipiat.

Ibidem.

OSſa Viator heic lege, & cælum animo ad-precare. Reverentiſſ. Illuſtriſſ. Dom. D. Joan. Jacobus Comes à Königſekh & Rottenfels, Dominus in Aulendorff & Stauffen &c. Elect. Metrop. & Cathed. Eccleſiarum Colon. Salisburg & Auguſtanæ Canonicus, Senior, & Jubilæus &c. per varia aſſurgens officia, Sacrorum liberrimus aſſertor, librorum adeò amans, ut de ſuis adderet, ac bono publico divulgaret, gnarus ſolos liberos libros eſſe. In artes liberales liberalis pariter, ſibi parcus, ut plures pau-

paupere depreſſos attolleret ſuâ manu; expertus rarò apud divites ſapientiam hoſpitari. Piè obijt ſuæ ætatis LXXIV. Chriſti Servatoris Anno M. DC. LXVIII. Idibus Septembris.

Ibidem.

Hâc Mortalitatis urnâ conditur
Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus,
D. WOLFGANGUS FRIDERICUS
Liber Baro de LAMMINGEN,
Canonicus Metropoliticæ, & Cathedralis
Eccleſiæ Salisburgenſis,
Ac Reverendiſſimi Conſiſtorij Præſes.
Qui quam vivens ab Eccleſia mercedē accepit,
Moriens rurſum Eccleſiæ legavit.
In Domino obdormivit XI. Kal. Majas.
Anno M. DC. LXXV. Ætatis ſuæ XLVI.

Salisburgi ad S. Petri.

Viator heîc pedem
Simul genua in preces fige.
AD
JESU, MARIÆ, JOSEPHI
amatos pedes en! jacet
Hujus Monaſterij caput, ac Præſul LXXI.
AMANDUS.
Illius S. Triadis, & fraternæ Unitatis
Amator ſingularis, amatus omnibus.
Vin' teſſeram amoris?
Hanc & alias aras Superis,
Cellas novas Religioſis Filijs;
Sibi hîc ultimam ſtruxit;

In qVa oLor VnDIqVe CanDIDVs
à dolorum gemitu & amoris leſſu
Inter LILIA coronandus quieſceret.
Præfuit annos ferè XVII.
Bonus Paterfam. & Pater optimus.
Vixit Anno M. DC. LXXIII. IX. Septembris,
Annos natus IL.
Monimentum pijſſimis Manibus P.
Amans AMANDI Succeſſor
EDMUNDUS.

MONUMENTUM.

Quod. Magnæ. Umbræ. pijs. Cineribus. *Perilluſtris Dom. D.* CAROLI COMITIS A LODRON. *ſupremi Locumtenentis, &c. Academiæ Salisburgenſis, Clariſſimi, heu olim! ſideris, nuper extincti, publico luctu poſuit* Collegium *PP. Profeſſorum, Ordinis S. Benedicti,* *Anno* CIↃ. IↃC. XXXV. *Non. Martij.*

HAVE. ADSTA. PELLEGE. VIATOR.

APpellarem hoſpitem, niſi heîc eſſes domi. Cur enim negem, hunc locum ad te quoque pertinere? Sed mihi non da vitio, quod iter interrumpo. Rem magnam te volo. Non vendunt fumos, qui venerunt ad cineres.

In hoc ſplendido marmore, quæſo me ac te vide, priuſquam claudis oculos. Si non es litteratus, ſaltem oſſa mea potes legere. Ego CAROLUS, de LODRONIA ſtirpe ſurculus, hoc

hoc tumulo ſitus ſum. Naſcentem altè gloriam Mors mihi invidit. Propediem juſſit ſolum vertere, & altas radices infra terram agere. Non merui ut morerer, ſed quia vixi, debui. PRIMAM in lucem SALISBURGI veni. Paucos Salis modios, & ibi & alibi, conſumpſi abſq; labe. Unde digniſſimum vita omnes cenſuerunt. Ah, nimis mortalis homo eſt. Nunc conſumpto ſale, etiam SALISBURGI conſumo ſacculum. Vermes devorant. In aula Archiepiſcopali pueriles annos duxi, brevis Ephebulus. Neſcius, eheu neſcius! quod Mors facere poſſit tam longos juvenes. Ego, & Carolus Magnus heîc ſumus Pares. Ne pugna cum jacente. Mors omnes exæquat. Reges & ruſticos eodem tondet pectine. Rogas, qua lege? Ipſa regio lex eſt. At ô meam ſortem! Olim cibos poſui meo Principi. Hodie, grandi barbariſmo, lumbrici pro cibo me habent. Iſthorum corpora pingueſcunt meo corpore. Aſſiduo me circumveniunt in cœno vermes & viperæ. O conventus pulcher!

Litteras etiam Salisburgi didici. Non rarò in primis ſubſellijs ſedi. Sed in iſta ſchola redactus ſum ad prima elementa. Heic, infinita capita, ſtudent Anatomiæ, ſine cerebro. Hinc tantùm mortui in cute ſe norunt, ac intus. Qui apud nos eunt in principia, idem omnes penſum dant. Immo, erro. Boni non coguntur recitare pœNITET. Ahah! nihil in hoc ludo luditur; res ſeria agitur. Niſi quod vermes ludant

ludant in alieno corio. Hi, ſunt Dominorum Domini. Nunquam putâſſem. Intellexti ætatis meæ rudimenta?

Poſt togam, ſumpſi ſagum. Turpe eſt, habere animam ſine animo. Arma Regia & Cæſarea mea voluntate; & cognati Principis nutu indui, ut in Majorum meorum inſignibus morerer. Quoties in Italia, Hiſpania, Gallia, Hungaria, Germania ſe devoverunt pro Domo Auſtriaca Lodronij Leones! veſtigia ſecutus ſum: etſi nondum paſſibus æquis. Cæſariani tamen exercitus gubernator uſus eſt velis, pro navis magnitudine. Quid, ſi non novit ex ungue Leonem? Vitam Auguſto Imperatori Ferdinando impendi. Ut alia obſequia ſæpè ſint dubia, Mors certè mentiri non poteſt.

Magnum imprimis hoc duco, quod placui Tibi, magne Princeps & Cognate. Solam virtutem probas. Colui. In bello bis peccare non licet. Apud te, nec ſemel. Ergo fer levius meum caſum. Bono boni quid optes, niſi ut cito moriatur? Annis non fit melior vita, ſed longior. Miſeris alijs, amicus nemo eſt. Tu oſſa mea in Templo condidiſti. En, dexteram eminus porrigo, quòd amicus fueris uſque ad Aras. Ignoſce nimis, heu! nimis ſolutæ linguæ. Non ſum totus apud me.

Heu, meorum etiam militum mœſta ſuſpiria! Audio, etſi plurima gleba ſit in auribus. Duci volunt: miſer ego in luto hæreo. Quid dormientem Leonem vellicatis? Orate, ut poſt bellum

bellum requieſcat in pace. Si etiam imperium ex urna petitis, accipite. In hanc longam viam ad æternitatem vos ne date abſque Viatico. Poſtulatis cauſam? In ſepulchro nec ſeritur, nec metitur.

Tantum eſt. Nunc abi inſtabilis viator. Ego heic pedem fixi. Ante tamen adſperge tumulum. Gutta cavat lapidem, & me juvat. Tantillam mihi negas opem? I, duriſſime rerum. Tu quoque poſt paululum petes aquam à pumice.

Salisburgi ad S. Petrum.

Wer da?

Ein Held berümbt von Waffen /
Sigreich mit Raht vnd Hand /
Wurd von dem Todt geſchaffen
Zulaſſen ſeinen Stand.
Der lebend nit gewichen /
Behertzt vor ſeinem Feund;
Rufft zu euch todt entblichen /
Verlaſt ihn nit

Gut Freund.

Alſo bittet euch vmb einen Seel-tröſtlichen Succurs der Woledl-gebohrne Herr Herr Johann von Fletting / ꝛc. Im Leben geweſter Röm. Käyſ. Majeſtät ꝛc. ꝛc. Wie auch Hochfürſtl. Saltzburg. beſtelter Obriſter / Cammerer / Kriegs-Rath vnd Commendant der

 Be-

Veſtung Hohen-Saltzburg ꝛc. Welcher im 60. Jahr ſeines Alters den 18. Januarij 1675. in GOtt ſeelig entſchlaffen / vnd allhie ſein Ruh-Bettlein gefunden. Deme vnd allen Chriſtglaubigen Seelen GOtt der Allmächtig ein fröliche Aufferſtehung verleihen wölle. AMEN.

Ibidem.

Hic bona fœmina dormit. Si res rara viator;
Rarior hoc ideò, nam Bona ſemper erat.

Der Edl / Vil-Ehrn-Tugendreichen
frommen Frauen
Anna Magdalena Fiſcherin
Gebornen Hellerin / ſo den 7. Aug. 1672.
in dem HErrn ſelig entſchlaffen / vnd hierbey begraben ligt / iſt wegen 32. jährig-fridlich- geſegnet- vnd vilen verlanglicher Ehe diſer Gedächtnuß-Stein auffgericht
Von
Dr. Joan. Fiſcher Hochfürſtl. Saltzburg.
Leib-Medico vnd Geheimen Rath.
Anno M. DC. LXXII.
Sterblicher Leſer von Todtē lehrne leben.

Salisburgi ad S. Petrum.

Der ewig Richter ſitzt /
Vnd fordert zu Gericht /
Wo der gerechte ſchwitzt /
Warumb der Sünder nicht?
So helffet mir dann GOtt
Verſennen in der Noth.

Alſo

Alſ ruffet von der Erd zu denen / die auß Erden herkommen / der Edl-Veſt- und wolgelehrte Herr M. Franz Thomas Kleinmayr deß lobwürdig-uhralten Cloſters S. Peter im Leben geweſter Hoff- und Urbar-Richter / ſo den 5. Jener An. 1675. in GOtt ſelig entſchlaffen. Deme haben deſſen leb- und liebende Erben diſe Gedächtnuß geſetzt.

Henrici de Tourenne Archiſtrategi Gallici.

HENRICUS DE TOURENE:

Per Anagramma:

Heu! nunc eo de terris.

SAt mihi pugnatum, ſat fuſum ſanguinis. Eheu!
Nunc eo de terris. Turba ſequêre Ducem.

Hermolai Mauroceni.

QUænam hæ puellæ lacrumantes quattuor?
Juſtitia, Probitas, Fortitudo, gratia,
Mortem Hermolai Mauroceni plangimus.
Cur ad ſepulcrum quattuor fletis Deæ?
Mortalis ullus flere non poteſt ſatis.

Has Tumulorum Inſcriptiones, amice Lector, adjicere volui, auctarij loco, THEATRO FUNEBRI, quod omnis ferè ſtatus hominum Epitaphia tibi exhibebit. Lege, & vale.

INDEX.
URBIUM ET LOCORUM,
In Quibus hæ Inſcriptiones reperiuntur.

A.

Ad-montes in Styria. pag. 101.
Alcantaræ. pag. 96.
Alcmariæ. pag. 5. 89.
Altorffij. pag 158.
Ambiani. pag. 250.
Anconæ. pag. 272. 295.
Andegavi. pag. 281.
Antuerpiæ. pag. 4. 88. 117. 181. 250. 274. 291. 315. 339. 342. 343.
Arèlate. pag. 164. 256. 257. 282. 283. 295.
Argentinæ. pag. 135.
Arimini. pag. 181. 276.
Aſperi Collis Belg. pag. 57.
Avenione. pag. 91. 207. 271. 286. 381.
Auguſtæ Vindelic. pag. 74. 96. 144. 330. 417.

B.

Barcinonæ. pag. 177.
Baſileæ. pag. 179. 184.
Biturigibus. pag. 137. 281.
Bononiæ. pag. 10. 11. 113. 130. 131. 151. 163 184. 280. 331. 347. 359. 409.

Bo-

Boſci. pag. 79.
Bredæ. pag. 9.
Bredenbergæ. pag. 80. 127. 249. 288. 289. 316. 317. 331. 341. 369.
Bremæ. pag. 247. 279.
Brixiæ. pag. 278. 403.
Brugis pag. 417. Bruxellis. 79. 165. 420.
Burdigalæ pag. 136. 165. 192. 275.

C.

Cajetæ. pag. 403.
Camberij. pag. 233.
Claramontij. pag. 92. 275. 316. 333.
Clivenſi in arce. pag. 265.
Cluniæ in Hiſpania. pag. 168.
Colmariæ. pag. 114. 136. 285.
Comi. pag. 392.
Conimbricæ. pag. 135.
Coronæburgi. pag. 123.
Cracoviæ. pag. 75. 245.
Cremonæ. pag. 402.

D.

Dantiſci. pag. 132.
Daventriæ. pag. 260.
Dordraci in Flandria. pag. 264.
Dresdæ. pag. 209.

E.

Eboræ. pag. 75. 306.

F.

Fani. pag. 284. 339.
Faventiæ. pag. 349. 387.
Ferrariæ. pag. 206. 394.

Florentiæ. pag. 79. 120. 139. 142. 176. 188. 249. 262. 270. 323. 409.
Fontaine-Bleau. pag. 90. 265. 372.
Foſſani. pag. 97.
Francofurti ad Mænum. pag. 246.
Francofurti ad Viadrum. pag. 152.
Franequeræ. pag. 19. 250.
Fuldæ. pag. 118.

G.

S. Galli. pag. 150.
Gandavi. pag. 60. 190.
Genuæ. pag. 189. 199. 298. 300.
Gorlicij. pag. 130.
Gratianopoli. pag. 122. 254. 255. 256.
Græcij in Styria pag. 188. 415. 416.
Gronovij. pag. 383.
Guſtrovij. pag. 372.

H.

Hallæ in Belgio. pag. 208.
Hiſpali. pag. 22. 416.

L.

Laureti. pag 59.
Leodij. pag. 373. 407.
Leovardiæ. pag. 413. 414.
Leucopetræ Villæ. pag. 365.
Lipſiæ. pag. 281. 350.
Lovanij. pag. 211. 242. 243. 244.
Lubecæ. pap. 417.
Lucæ. pag. 403. 404.
Lugduni Batav. pag. 136. 350.

Lugd-

Lugduni. pag. 90. 253. 254. 271. 333. 344. 345. 363. 364.
Luxenburgi. pag. 323.

M.

Mantuæ. pag. 211.
Mediolani. pag. 76. 115. 133. 188. 231. 278. 300. 382.
Mochæ in Luſitania. pag. 178.
Molæ in Regno Neap. pag. 309.
Monachij. pag. 101. 187.
Montiſpelij. pag. 350. 351.
Murathi Helvet. pag. 413.

N.

Neapoli. pag. 74. 77. 78. 86. 100. 142. 175. 261. 262. 272. 279. 290. 308. 318. 319. 349. 357. 358. 372. 380. 386. 399. 400. 401. 402. 403.
Nemauſi. pag. 88.
Niceæ. pag. 232. 294.
Nivernij. pag. 265.
Norimbergæ. pag. 36. 226. 227. 234.
Novocomi. pag. 184. 412.

O.

Ocriculi. pag. 331.
Oetingæ veteris. pag. 329. 330.

P.

Pariſijs. pag. 60. 133. 134. 161. 162. 175. 192. 193. 232. 271. 275. 279. 286. 308. 316. 323. 379. 420.

Parmæ. pag. 147.
Patavij. pag. 37. 103. 113. 173. 208. 228. 248. 270. 278. 331. 343. 347. 349. 402.
Peruſiæ. pag. 205. 261. 278.
Pictaviæ. pag. 166.
Piſauri. pag. 181. 361.
Piſis. pag. 308.
Piſtorij. pag. 278.
Placentiæ. pag. 262.
Portuenſium Hortorum. pag. 355.
Præneſte. pag. 60. 213.
Puteolis. pag. 355. 404.

R.

Ratisbonæ. pag. 277.
Regiomont. pag. 132.
Romæ. pag. 58. uſque ad 73. Item pag. 76. 77. 78. 87. 92. 93. 94. 95. 97. 99. 100. 101. 102. 104. 105. & ſeqq. uſque ad 113. Item pag. 140. 141. 154. uſque ad 158. Item pag. 60. 166. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 177. 178. 179. 180. 182. 183. 194. 195. 196. 197. 198 199. 202. 203. 204. 205. 212. 213. 214. 222. 223. 224. 225. 242. 246. 247. 248. 258. 259. 262. 266. & ſeqq. Item 272. 286. 293. 296. 297. 301. 302. 303. 304. 308. 310. 311. 319. 320 321. 322. 323. 331. 333 334. 336. 337 338. 339. 341. 344. 348. 349. 355. 356. 357. 360. 366. 369. 385. 386. 387. 391. 392. 393. uſque ad 400. 410.

Roſtochij. pag. 120. 151.
Roterodami pag. 250.
Rotomagi. pag. 117.

S.

Salisburgi. pag. 44. 75. 100. 105. 114. 229. 230. 250. 251. 252. 253. 263. 292. 293. 304. 314. 321. 322. 324. 325. 348. 375. 376. 377. 378. 381. 421. & ſeqq.
Salmanticæ. pag. 134.
Sarisburij. pag. 95.
Schonaugiæ. pag. 389.
Segebergæ. pag. 159.
Senis. pag. 79. 177. 261. 362. 363. 402. 403. 408. 409.
Soloduri. pag 46.
Sterzingæ in Tyroli. pag. 249.
Sutri in Hetruria. pag. 178.

T.

Taraſcone. pag. 88. 265.
Tarraconæ. pag. 135. 178. 181.
Taruiſij. pag. 176. 323.
Taurini. pag. 48. 66. 67. 87. 97. 98. 119. 138. 169. 195. 200. 201. 235. 236. 237. 238. 239. 240 241. 351. 352. 353. 354. 385.
Tiguri. pag. 50.
Tolentini. pag. 407.
Toleti. pag. 48. 248.
Toloſæ. pag. 91. 138. 191. 283. 284.
Tridenti. pag. 408.
Tuderti. pag. 314.

Tun-

Tungerloæ. pag. 145.
Turonis pag. 95.

V.

Venetijs. pag. 52. & ſeqq. Item pag. 85. 86. 150. 176. 225. 273, 284. 286. 287. 299. 312. 401.
Veronæ. pag. 247. 280. 285. 316.
Verrucæ. pag. 292.
Vicetiæ. pag. 322.
Viennæ. pag. 51. 147. 148. 186. 209. 249. 290. 291. 407.
Viterbij. pag. 260. 278.
Vltrajecti. pag. 173.
Uranoburgi Danorum. pag. 123.
Uratislaviæ. pag. 120. 130. 153.
Urbini. pag. 142. 214. 272.

W.

Wittebergæ. pag. 136.

Menda ſic emenda·

PAg. 4. *lin.* 4. *lege, Gallia.* *Pag.* 25. *lin.* 19. *lege, inhoſpita.* *Pag.* 28. *lin. antepenult. lege, Iratis.* *Pag.* 55. *lin. penult. lege, atqui. Ibid. lege, Transferre. Pag.* 88 *lin.* 26. *lege, Templo.* *Pag.* 91. *lin.* 8. *lege, Ducheriana.* *Pag.* 119. *lin.* 23. *lege, Volucres. Pag.* 227. *lin.* 11. *lege, En. Pag.* 279. *lin.* 17. *lege, Idibus. Pag.* 370. *lin. penult. lege, poteſtas.*

FINIS.

101159